A quæ Navarræ regina vocabatur, ad Mariam Pannoniæ reginam Cæſaris germanam contenderant, deteſtanteſque diri belli cauſas tanquam inanes, uſque adeò appoſitè egerant, ut Maria ad idem utrique parti utiliſſimum pietatis & pacis decus vehementer accenderetur, iiſdemque ferè conditionibus, quibus ante ſeptem annos ea immania diuturni belli incendia reſtinxerant, induciæ dicerentur, in eam deſcriptæ formulam, quam Principes in ſpem mutui colloquii certiſſimæque pacis eſſent probaturi. *Iov. l.37. hiſt.*

AMICITIÆ INEUNDÆ DISSUASORES.

Meton Tarentinus, quo die decretum de Pyrrho rege Epirotarum vocando ſciri per populum Tarentinum debebat, & multitudo in concione ſedebat, accepta corona & lampade quaſi ebrius, tibicine ducente, ludibundus in concionem proceſſit, applaudentibus aliis, aliis ridentibus, & quaſi cantaturus aſtitit. Sed ubi ſilentium nactus eſt: Viri, inquit, Tarentini, benè facitis, quòd jocari & ludere volentibus, dum licet, permittitis, antequam Pyrrhus adB veniat, libertatem vobis erepturus. Nec fuit mendax. Nam quamprimùm advenit Pyrrhus, ludis & tripudiis Tarentinis interdixit. *Bruſ. c.1. l.12.*

AMICITIÆ POLITICÆ ΦΗΛΑΚΗ. HUJUS EST LOCI AMICITIA CONSTANS, CONSERVATA, NON interrupta, non ſoluta.

QUANDO, NON SOLUTA

Morte.

☞ *Conſule Tit. Vltio mortis alterius, quatenùs eorum quos amarunt, mortem ulciſcuntur, item Commorientium.*

Saul, primum Judæorum Regem, Philiſtæo bello cum filiis ad Gelboe montem interfectum, & ad ludibrium gentis crucis patibulo ſublatum, Judæi noctu ſuſtulerunt, cumque funerarunt, publico luctu Jabenſes in parte Galaaditanæ terræ, jejunio ſeptem dierum omnis ſexus & ætatis indicto. *Sab. l.10. c.14. ex 2. Reg.2.*

Cæſo in Haliarti oppugnatione Lyſandro, cùm ſerò ſuC perveniſſet Rex Pauſanias, & inſtitueret per inducias mortuos petere: majores natu Spartiatarum teſtati ſunt, non ſublaturos ſe per inducias Lyſandrum, verùm armis de corpore ejus certaturos, victoreſque tum eum humaturos: victis verò honeſtum fore ibidem occumbere duces. At Pauſanias prælio ſuperare victores modò Thebanos arduum cernens eſſe, per inducias recepto corpore, in Panopæorum ſocio agro illud ſepelivit. Ejus exitum Spartiatæ tulerunt ita graviter, ut regem in capitis judicium vocaverint. Quod ille declinans, Tegeam ivit exulatum, atque illic in delubro Minervæ ſupplex vitam tranſegit. Etenim detecta defuncti paupertas Lyſandri, laudem reddidit ejus illuſtriorem: qui ex ingenti pecunia, potentia, urbium clientela, & regno tali, rem familiarem, quod ad argentum attinet, ne obolo quidem reddidit lautiorem, ut tradit Theopompus. Et cum alios honores mortuo habuerunt, tum procis, qui nuptias ambierant filiarum ejus, mox inopia ejus poſt vitæ exitum erumpente renuntiaverant illis, multam dixerunt. *Plut. in Lyſand.*

Pop. Rom. Tib. & C. Gracchos, quos ſuæ defenſores libertatis deſeruerat, patriciorum conſpiratione fœdè oppreſD ſos, ſic deſideravit, ut iis ſtatuæ in celeberrimis locis Urbis conſtitutæ ſint, & ſacella, ubi ambo ceciderunt, ita ut quotidie utrobique fierent ſacra. *Sab. l.3. Enn.6.*

Tib. Gracchus hoſtis patriæ judicatus, ultimo ſupplicio affectus, ſepulturæ honore ſpoliatus, benevolentia tamen C. Bloſii Cumani non caruit. Nam cum Senatus Rutilio & Lenati Coſſ. mandaſſet, ut in eos, qui cum Graccho conſenſerant, more majorum animadverterent: & ad Lælium, cujus conſilio præcipuè Conſules utebantur, pro ſe Bloſius deprecatum veniſſet, familiaritatiſque excuſatione uteretur, atque is dixiſſet: Quid ſi te Gracchus templo Jovis optimi maximi faces ſubdere juſſiſſet, obſecutuſne voluntati ipſius propter iſtam, quam jactas, familiaritatem fuiſſes? Nunquam iſtud (inquit Gracchus) Preſſus autem perſeveranti interrogatione Lælii: Se etiam hoc, ſi modò Gracchus annuiſſet, facturum, reſpondit. Quia niſi in uſum Reip. fuiſſet id facere, nunquam tale facinus probaſſet. Poſt hoc Bloſius in Aſiam Ariſtonicum profugit, qui Attali regnum poſt ejus mortem occuparat: cujus rebus poſteà profligatis, ſibi mortem conſcivit. *Sabell. l.9. Enn.5. & Val. lib.4. cap. 7.*

Mithridates Ponti Rex, cùm Thoridoracem Galatham E quin ipſum conſpiraverat, occidi juſſiſſet, verentibus omnibus eum ſepelire, Adoleſcentula inſignis, quæ eum deperibat, ut ſepeliret corpus, exornavit. Quo nomine ad regem abducta, & rex id ex amore factum eſſe intelligens, & corpus illi ad ſepulturam conceſſit, & pecuniam ſimul ut funus exornaret, impendit. *Fulg. l.5. c.1.*

M. Terentius Varro, Sejani ſummus amicus, poſtquam in eum animadverſum, & inter alios, qui ejus amicitiæ cauſa rei poſtulati ſunt, eam ipſe cauſam in ſenatu dicere cogeretur: non modò amicitiam ejus non negavit, verùm etiam oſtendit, eum ſe maximo ſtudio coluiſſe, quem Tiberius in magno honore habuiſſet. *Dion. l.58.*

Nero Cæſar obiit XXXII. ætatis anno, die quo quondam Octaviam interemerat. Tantumque gaudium publicè præbuit, ut plebs pileata tota urbe diſcurreret. Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis æſtiviſque floribus tumulum ejus ornarent, ac modò imagines prætextatas in Roſtris proferrent, modò edicta quaſi viventis, & brevi magno inimicorum malo reverſuri. Quin etiam Vologeſus F Parthorum Rex, miſſis ad ſenatum legatis de inſtauranda ſocietate, hoc etiam magnoperè oravit, ut Neronis memoria coleretur. Denique cùm poſt XX. annos extitiſſet conditionis incertæ, qui ſe Neronem eſſe jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus, & vix redditus ſit. *Suet.*

Severus Imp. poſteàquam Nigrum prælio vicit, eoſque damnare inciperet, qui illius partes ſecuti eſſent: Caſſius Clera ſenator accuſatus, id ſe feciſſe non negavit, imò liberrimè oſtendit, cùm caſu eveniſſet, ut partes Nigri ſuſtineret, neceſſariò quod ei ſors obtuliſſet ſe ſecutum eſſe: ipſum etiam Severum noluiſſe quemquam eorum, qui cum eo erant, & ſuam cauſam defenderent, proditorem ad alios transfugere. Severus licentiam hominis admiratus, libertatemque loquendi, dimidiam ei partem bonorum conceſſit. *Ærod. ex Dion. Severo.*

Proſperitate.

Themistocles, cùm quidam moneret, ut abſque ullo perſonarum reſpectu magiſtratu fungeretur: Nequaquam, inquit, in eo ſeſſurus ſum throno, in quo amici non meG liore ſunt futuri conditione, quàm non amici. Non enim civitas homines amicis & ſodalibus carentes, ſed commodos & temperantes requirit. *Ant. Meliſſa. Par.2. Serm.1.*

Adverſitate. Calamitate.

☞ *Ex Tit. Fidei erga Parentes, Conjuges, Amicos, exempla huc transferantur, quatenùs in rebus adverſis ſuam retinent benevolentiam.*

Ælius Grammaticus tanta amicitia & familiaritate Metello Numidico conjunctus fuit, ut illum in exilium relegatum ſequeretur. *Tranquill.*

QUOMODO. CONSERVATA

Sacrificiis, Religione.

Romani cum Latinis, auctore Tarquinio Superbo rege fœdus renovarunt. Ipſe priùſquam conſilium dimitteretur, edixit, ut certo die Latinorum juventus ſibi ad lucem Ferentinæ, armis inſtructa, ex fœdere adeſſet. Miſit Tarquinius ad Hernicos & Volſcos, qui ab ipſis gentibus ſocietatem Romani populi peteret. Omne Hernicum nomen in H fœdus & amicitiam venit. Ex Volſcis Ecetrani tantùm, & Anacites. Tum Tarquinius, ut ea populorum concordia aliquo ſanctiore perpetuoque fœdere ſtabilis & manſura eſſet, auctor extitit, ut in Albano monte commune Romano pop. ſociiſque Jovis templum conderetur, quo annuæ feriæ omnibus populis indicerentur, ibique extorum partem ſinguli libarent, atque ex immolata hoſtia pro more ſinguli ſuam quiſque partem acciperent. Septem & quadraginta urbes tum primùm ejus ſacri ſunt participes factæ. Latinæ feriæ nuncupatæ. Dubium, quia eas Latini celebrarent, an quòd Jupiter ipſe eſt Latialis dictus. Romanus, penes quem rei principatus erat, taurum ibi pro omnibus ſacrificabat: cujus cæſi, ſinguli populi, poſtquam libata erant exta, ſibi partem depoſcebant. *Sab. l.5. Enn. 1.*

Fœdere repetito.

Robertus I. Scotorum Rex antiquas fœderis leges cum Gallis revocavit, eo addito; Si alterutrius regis ſoboles

A deficeret, nec regni certus conſtaret hæres, tum per primores id regni arbitros diſcuteretur: & non ſolùm quemquam non declaratum regem, regnum occupare non permitteret, ſed ſumma vi, ſi eſſet opus, præſentia etiam ſua prohiberet: declaratum verò non minùs defenderet, quàm non declarato obſiſtendum eſſet. Quæ ut apud poſteros etiam rata eſſent, ſumpto ſacroſancto Chriſti corpore, jurejurando ea utrinque confirmarunt, & à Pontifice probanda curaverunt. Adjectum prætereà, ne unquam ab eo jurejurando per Pontificem Rom. liberari poſſent: aut ſi id eſſet factum, irritum foret. *H. Boeth. l.14.*

Convictu.

Veneti Principes quater ſingulis annis patritios omnes intra Palatium ſuum convivio excipiunt, publicæ benevolentiæ ampliandæ cauſa, nempè die D. Stephani. *Egnat. l.2. c.1.*

Cæde.

Hiero rex Siciliæ in Rom. fide conſtantiſſimè perſeveravit, bello Punico ſecundo. Gelo F. qui ad Carthaginenſes jam deficere parabat, opportuna morte, patris conſilio, B ſublatus creditur. Jam ſenio confectus, Hieronymo Gelonis filio, XV. annos nato, hærede relicto, præcepit ei & pueri tutoribus moriens, ut in Romana ſocietate colenda ſuis veſtigiis inſiſterent. *Sab. l.3. Enn.5.*

INCONSTANS, INTERRUPTA, SOLUTA AMICITIA.

Ex amicis vel inimici fieri poſſunt, vel non amici. Inimici quidem, quando præter converſationis fugam etiam nocere cupiunt. Non amici verò, quando ſolam converſationem obverſantur: interim nec prodeſſe, nec obeſſe volunt.

QUI.

Dion Dionyſium minorem tyrannum Syracuſanum induxit, ut Platonem Philoſophorum principem (qui cum patre ejus Dionyſio ſuperiore congreſſus quoque fuerat) ad ſe vocaret. Ei, poſteàquam venit, honores habuit maximos, & incredibili philoſophiæ ardore flagrans, clementiſſimum ſeſe ſubditis præbebat. Illud ægrè ferentes adulatores, Philiſto auctore, Dionem, quaſi cum Carthaginenſibus faceret, apud tyrannum traduxere. Eum ille in exilium relegavit, Platonem nihilominùs apud ſe retinuit: tandem C honorificè Athenas miſit, eo conſilio, ut Dionem in Academia detineret, ne inſectaretur ſe apud Græcos. Jam verò cùm plurimos convocaſſet philoſophos, neque iis diſputando par eſſe poſſet, denuò Platonem accivit, Archita Tarentino ſponſore & interceſſore, eoque familiariſſimè uſus eſt, ſummamque fidem habuit. Cæterùm cùm de Dionis reditu ſubinde ageret, & tyrannus procraſtinaret omnia, Ariſtippus Cyreneus ludens apud alios philoſophos, inquit: Helicon Cyzicenus (qui Platonis erat familiaris) eclipſin prædixit: ego verò non minùs admirabilem rem pronuncio, Platonem & Dionyſium brevi inimicos fore. Dionyſius ergo Platonem in hortis, qui ædibus ipſius erant annexi, divertentem migrare juſſit inter milites mercenarios, jam dudum ei infeſtos, & interficere quærentes eum: quaſi poneret Dionyſio tyrannidem, & vivere ſine corporis cuſtodibus conſuleret. Diſcriminis, in quo poſitus Plato erat, Archytas factus certior, miſſis properè cum navi triginta remorum actuaria legatis, repetit illum à Dionyſio, prætendens ſe fidei publicæ expromiſſore navigaſſe eum Syracuſas. Dum offenſiones Dionyſius in Platone proſequendo conviviis & D honoribus ſublevat, prorupit, ut hoc diceret: Nempè multis & atrocibus criminibus nos apud tuos philoſophiæ commilitones onerabis. Cui reſpondit: Abſit, ut adeò materia nos ſermonum deficiat, tui ut quiſquam meminerit. Ita Platonem memorant dimiſſum. *Plut. in Dione. Diod. l.15.* eum in forum productum, quaſi mancipium à tyranno venditum ait minis viginti.

M. Antonius, Cæſare à conjuratis interfecto, ſenatu convocato, retulit de præteritorum oblivione, & provinciis Caſſio & Bruto decernendis. Mox gloriæ ſtudio, cum ſperaret, oppreſſo Bruto ſe facilè principatum conſecuturum, populum ad vindictam de conjuratis ſumendam inſtigavit. Hinc cùm conjurati urbe exceſſiſſent, & Octavio ſuperveniente Antonius quoque, ob perfidiam in depoſito & teſtamento Cæſaris, hoſtis judicatus ad Mutinam ſuperatus eſſet, recollectis è Gallia viribus, cum Octavio & Lepido in libertatis communem oppreſſionem conſpiravit. Oppreſſis inde Bruto, & Caſſio, Fulviæ uxoris inſtinctu contra Octaviam in Italiam tendit. Sed illius morte Octavio reconciliatus, ejuſque ſorore Octavia in uxorem ducta, partito cum illo imperio, Cleopatræ amoribus dementatus, ejuſE demque inſtinctu ad Actium navali prælio confligere auſus, Alexandriam fugiens, in ſcorti ſinu vitam exhalavit. *Plut. in Antonio.*

Herodes Judæorum rex, Andromacho & Gemello veteribus amicis, & qui plurimùm regem tam legationibus, quàm conſiliis juverant, filioſque ejus inſtituerant, & majorem cæteris habebant fiduciam, amicitiam renunciavit: alteri, quia Demetrio ejus filio Alexander filius ſuus utebatur familiariter: Gemello verò, quòd ipſum ſciret favere Alexandro, de inſidiis ſuſpecto: nam & inter educatores ejus ac eruditores fuerat, & Romanæ peregrinationis comes hæſerat. *Ioſephus lib. 16. cap. 11. Antiqu.*

Veneti miro ſtudio Herculem Borſii amiciſſimi ſui jam defuncti, Ferrarienſium Principis, fratrem, terra & aquis adjutum, in ampliſſimo principatu locarunt: de quo magnum alioquin illi certamen inſtabat cum Nicolao Lionelli filio, cui Mantuanus Princeps avunculus, & Galeacius Vicecomes enixè favebant. At non longo interjecto tempore Hercules Leonoram Ferdinandi regis filiam uxorem F duxit. Qua ille affinitate auctus, remiſſiore animo cœpit Venetam colere amicitiam, contraque antiqua fœdera aliqua movere. Sæpè per legatos monitus, cùm nihilo pacatior redderetur, Veneti Xiſti quarti Pontificis hortatu bellum ei indixere. *Sab. l.2. Decad.3.*

Xistus Quartus Pontifex deſerta Florentinorum amicitia, cum Ferdinando Aragonio fœdus contra Florentinos iniit. Florentini armis hoſtium preſſi, Ferdinandum inſcio Pontifice in ſuas partes pertraxerunt. Venetis inſtinctu ejus Herculem Ferrariæ ducem bello petentibus, contra eos Alphonſus Ferdinandi filius, Ludovicus Mediolanenſis, Xiſtus Pontifex tum ſacris cùm ferreis armis, & Florentini ſocietatem junxerunt, ut eos à Ferraria everterent. Verùm cùm Alphonſus I. deinde Ludovicus cum Venetis clàm conveniſſent, Hercules deſertus à Ludovico genero, & ab Alphonſo, pacem, quam Veneti dedere, coactus fuit accipere. *Brutus lib.8. hiſt. Flor. Guicciard. l. 1. Sab. lib. 2. Dec. 3.*

Franciscus Sfortia, Philippo Vicecomiti opera ſtrenuè præſtita, cùm Blancæ filiæ nuptias promiſſas ab eo impeG trare non poſſet, ſeceſſione facta Picenum occupavit. Mox Venetorum ſtipendio militans, Philippum eò redegit, ut filiam ad ſe miſerit, Cremona dotis loco tradita. At cum nihilo placatiore in ſocerum animo eſſet Sfortia, Nicolaus Picininus Philippi juſſu Picenum invaſit. Sfortia armis Philippi, Eugenii IV. & Alphonſi regis preſſus, clàm fœdus cum Philippo iniit: Philippus Nicolaum Picininum Mediolanum vocat. Franciſcum ejus filium juvenem audacem intereà Sfortia circumvenit, exercitum delet. Picinino præ mœrore mortuo, ut Veneti quoque bello implicati, quæ ductu Sfortiæ acquiſiviſſent, reſtituere cogerentur: Philippus Cremonenſibus bellum infert, quos Sfortiæ cauſa ex fœdere Veneti defenſuri erant. Veneti eam injuriam Sfortiæ illatam ulturi ad arma redeunt. Tum demùm Sfortia apertè ad Philippum tranſiit, quaſi dotali terræ metueret: & contra Venetos in ſoceri gratiam, ſed infeliciter movit. Philippo mortuo, Sfortia Mediolanenſium hoſtiis præfectus, Venetos ad Carravagium memoraH bili clade affecit, & ut principatum faciliùs obtineret, fœdus cum illis fecit. Et jam victoriam in manibus habebat Sfortia, cum Veneti ſuſpectos habentes illius ſucceſſus Mediolanenſibus ſe junxere, & poſteàquam Mediolano potitus eſt Sfortia, cum Alphonſo fœdus iniere. *Sab. Decad. 3.*

Poſt Caroli VIII. regis Galliæ diſceſſum, Neapolitani ad Aragonios rurſus animos inclinarunt. Itaque Ferdinandus, ab Ænaria inſula cum roſtratis navibus Meſſanam adnavigans, paulò poſt regno reſtitutus eſt. *Iovius lib. 3. Hiſtor.*

QUOMODO. PUTA.

Renunciando amicitiæ.

Amasis Ægyptiorum rex ſuſpectam habens Polycratis Samiorum tyranni felicitatem, maximè poſtquam anulum, quem habebat chariſſimum, ad eluendam fortunæ invidiam, in mare ſuo ſuaſu projectum, in piſcis capti ventre repertum, & à tyranno recuperatum audiviſſet: per literas & le-

A gatos amicitiæ ei repudium miſit: ne in adverſis illius rebus, quæ jam viderentur impendere, vel deſerendo perfidus, vel auxiliando temerarius, vel condolendo infelix eſſe cogeretur. *Herod.*

ANDREAS Auria Genuenſis, certis de cauſis ob Galliæ regis Franciſci amicitiam ad Carolum V. Cæſarem diſceſſurus an. 1527. torquem conchyliatum, quem honoris cauſa ab rege delatum acceperat, ad eum remiſit, ab eaque de more ceremonia, ſacramento militari ſe abſolvit. *Iov. l.26. hiſt.*

Deſerendo.

☞ *Conſule Tit. Transfugarum. Illic Fidei violatæ, hic Amicitiæ deſertæ ratio habetur.*

Cùm M. Marcellus Procoſ. ad Nolam ſuperaſſet Annibalem, trecenti equites miſſi Hiſpani Numidæque, transfugerunt eum: id quod Annibali ad eam diem non acciderat, cum ex colluvione diſſonarum diſcrepantiumque nationum coactum ferum exercitum in ſumma conſenſione perdiù continuiſſet. Illorum equitum fideli opera, toto eo bello, uſi ſunt Marcellus, ejuſque ſucceſſores. *Plut. in Marcello.*

C U R. C A U S A

B *Iuſtitiæ.*

CLEON Athenienſis cùm primùm ſtatuiſſet Remp. capeſſere, amicis in unum locum convocatis, eam quæ ei cum illis interceſſerat amicitiam dirupit: tanquam quæ in adminiſtratione civitatis rectum ac juſtum inſtitutum emolliat, & tranſverſum agat. *Ant. Meliſſa Par.2. Ser.1.*

Ob Pauſaniæ regis Spartani crudelitatem & libidinem conjunxerunt ſeſe Athenienſibus ſocii Græci, Ariſtidis juſtitia & Cimonis humanitate adducti: ſicque maris imperio excidere Lacedæmonii. *Plut. in Cimone.*

Hæreſeos.

RUFFINUS Aquilejenſis Presbyter, cùm D. Hieronymo priùs familiaris fuiſſet, & ſtudiorum ſocius, tandem quid inter illos diſſidii intervenit. Cauſa videtur fuiſſe, quòd Origeni favens Ruffinus, ejuſque libros convertens, in eadem hæreſi eſſe videretur: quam tamen Hieronymus ſummè abominabatur. *Hieron.* tale quid indicat in epiſtola quę antecedit Apologiam in Ruffinum. *Tom.3.*

Educationis malæ.

DION frater Ariſtomaches, quæ Dionyſio majori Syracu- C ſanorum tyranno nupta fuit, in honore apud tyrannum fuit, non tam ſororis, quàm prudentiæ cauſa, quæ in eo mirifica eluxit: multòque magis poſtquam Platonis in Siciliam adventu ſapientiæ guſtum percepit. Itaque præceptum quæſtoribus à tyranno: Quicquid poſtularet Dion, id præberent: cùm præbuiſſent, eodem die ſibi renunciarent. Poſt etiam filiam ex Ariſtomache Areten Dioni nuptui dedit. Mortuo inde Dionyſio, cùm ei in regno ſucceſſiſſet Dionyſius filius, adulatores, & inter eos princeps Philiſtus juvenem rerum imperitum ad amores & ignavas occupationes in conviviis atque luſtris, aliiſque turpibus ludis detinere conabantur. E contrà Dion jampridem ex Platonis converſatione has tanquam peſtes regiæ vitæ deteſtabatur. Inviſum proinde & ſuſpectum tyranno ſe eſſe facilè cognovit, nec alia, quàm uſus rerum cauſa acceptum. Ejus tamen pravæ educationi hocce acceptum referens, eniſus eſt eum in ſtudia liberalia conjicere, guſtumque dare præceptorum & diſciplinarum moralium. Itaque hortatus eſt eum, ut dederet ſeſe literis, & Platonem philoſophorum principem enixè rogaret, ut in Siciliam veniret. Hæc crebrò inculcante ei D Dione, ac nonnullos Platonis ſermones ſubjiciente, acris Dionyſium ardor & væſanus cepit ſermonum & colloquii Platonis. Extemplò igitur multæ Athenas à Dionyſio literæ, multæ obteſtationes volitarunt à Dione, aliæ à Pythagoreis ex Italia, ut veniret, hortantibus, & tyrocinium animi magna licentia & potentia fluctuans arriperet, ſolidioribuſque frænaret conſiliis. Plato ſperans per unum virum quaſi membrum principale purgatum, Siciliæ univerſæ laboranti medicinam ſe facturum, geſſit illis morem. Sperabat ſanè Dion, per Platonis præſentiam detracta tyrannidi impotentia, moderatum ſe, & legitimum principem Dionyſium effecturum. Sin reluctaretur, nec molliretur: opprimere ſtatuerat eum, ac Syracuſanis reddere Rempub. Veniens in Siciliam Plato, primo adventu eximio honore eſt exceptus. Nam regius currus præſtò fuit è navi egredienti. Tyrannus autem, tanquam magno bono imperium ſuum eſſe auctum, ſacrificavit. Pudor in conviviis, aula compoſita, atque ipſius tyranni in omnibus reſponſis judiciiſque lenitas ſpem civibus miram præbebat converſionis. Ardor erat ad diſciplinas & philoſophiam omnium. Tyrannidis ſedem, ut fama eſt, pulvis occupabat, ob numerum eorum, E qui geometriæ incumbebant. Philiſtus inſuperabilem Dionis auctoritatem fore conſuetudine Platonis exiſtimans, ſuſpicione primùm replevit tyrannum, quaſi Dion per Platonem tyrannidi inhiaret. Hinc clam ad Dionyſium epiſtola quædam delata eſt, quam ad magiſtratus Carthaginenſium ſcripſerat Dion, monens, ut cùm Dionyſium de pace adituri eſſent, ne remoto ſe convenirent illum, omnia ſe confecturum ipſis ex ſententia. Ergo ſub arcem ad mare abducto Dioni oſtendit epiſtolam, inſimulavitque, cum Pœnis eum in ſe conſpirare. Purgare ſe Dionem volentem noluit audire: verùm extemplò, & raptim conjecit eum in Acatium, imperavitque nautis, ut exponerent eum in ora Italiæ. Itaque exul Dion in Græciam abiit: neque, licèt intercedente multùm Platone, reditu impetrato, Athenienſium opibus licèt exilibus inſtructus, poſt tertium Platonis è Sicilia reditum, cùm nihil pacatè à Dionyſio afferretur, Syracuſas navigans, nihil minùs expectantem tyrannum evertit. *Plut. in Dione.*

Tyrannidis.

C. CALIGULA ſub imperii ſui initia uſus eſt honeſtiſſimis F amicis, quò faciliùs bonam opinionem ſibi pararet. Tandem eos à ſe alienavit, uſurpanda immodica licentia. Quorum odiis in dies gliſcentibus, poſtremò per inſidias eorundem oppreſſus eſt. *Ioſeph. l.19. c.2.*

Injuriæ acceptæ.

Haalon Magonis Tartarorum regis frater Chriſtianus, Perſide occupata, Calipha ſublato, Syriæ imminebat, ut Hieroſolymam receptam Chriſtianis reſtitueret. Mortuo Magone domum repetens, Guirbocam cum decem millibus militum in Syria reliquit. Eum Chriſtiani magno ſuo cum malo à ſe alienarunt. Cùm enim circa Sidonem loca quædam præſidio obtinentes prædas ex ejus provinciæ finibus furto abegiſſent: qui res repetitum miſſi fuerant, contra jus gentium violati ſunt, & in iis ipſius ducis ex ſorore nepos juvenis impiger, interfectus. Ira itaque & odio accenſus Guiborca, Sidonem expugnavit, captamque diripuit, & incendit. *Æmil. l.7. & Sab. l.7. Enn.9.*

Proſperitatis nimiæ.

G

AMASIS Ægyptiorum rex, cùm Polycrati Samiorum tyranno omnia ex animi ſententia ſuccedere vidiſſet, jus amicitiæ ei renunciavit, ne aliquando ex gravi illius infortunio, quod impendere verebatur, graviſſimum dolorem accipere cogeretur. *Sab. l.4. c.8.*

Adverſitatis.

SAMII & Jones reliqui de una fidelia, uti ipſorum verbum eſt, parietes duos dealbarunt. Etenim cùm Alcibiades claſſem inſtructam & ornatam Athenienſium circa Joniam haberet, Samii ſtatuam ei æneam in Junonis erexerunt. Superatis verò navali prælio ad Ægos flumen Athenienſibus, iidem Samii Lyſandro in Olympia ſtatuam poſuere. *Pauſ. lib. 6.*

EPHESII in Dianæ fano, Lyſandri, Eteonici, Pharacis, & aliorum Spartanorum, minimè clari inter Græcos nominis, imagines dedicarunt. At commutata fortuna, cùm ad Gnidon, & Dorion montem ab Athenienſibus Cononis H ductu claſſe victi fuiſſent Lacedæmonii, eouſque Jonum ſtudia in diverſa abierunt, ut Cononem ex ære, Timotheum etiam Sami poſitos videas. *Ibid.*

Artaxerxes Perſarum rex (qui à cæteris Spartiatis ſemper fuit adverſus, homines numerans eos eſſe, ut ait Dinon, omnium impudentiſſimos) profectum in Perſidem impensè complexus eſt Antalcidam, qui pacis cauſa fuit Antalcidiæ dictæ, qua Græcas urbes regi vectigales permiſit, ſocioſque prodidit. Itaque rex coronam unam ex floribus factam in pretioſiſſimum demerſit unguentum, eamque ex cœna Antalcidæ miſit: quem favorem omnes admirati ſunt. Quouſque ergo in primatu Græciæ Sparta fuit, hoſpitem habuit & amicum ſuum nominavit Antalcidam. Ut verò ad Leuctra fuſi Lacedæmonii ſunt, afflictique eguerunt pecunia, atque idcircò Ageſilaum in Ægyptum miſerunt; Antalcidas autem ad Artaxerxem perrexit oratum, ut Lacedæmonios pecunia juvaret: ille uſque eò neglexit, deſpexitque eum, & rejecit petitionem, ut regreſſus Antalcidas, quòd videret ſe hoſtibus eſſe ludibrio, & metueret inſuper ephoros, vitam inedia finierit. *Plut. in Artaxerxe.*

ATHENIENSES, cùm Demetrio Poliorceti, qui eo à Caſ-

A ſandri Macedonis tyrannide bis liberaverat, honores divinos detuliſſent, eumque ſuis blandimentis inſolentiſſimum reddidiſſent: ſimul atque regum conſpiratione preſſus eſt fugientem ex Aſia etiam urbe recipere voluerunt, & Deidamiam uxorem ejus Megara ablegarunt. *Plut. in Demetrio.*

Mutata fortuna, mutata fuit Tiberii Gracchi & Q. Tuberonis amicitia. Gracchum enim Tubero turpiter deſeruit: niſi fortè majorem patriæ, quàm privatæ amicitiæ rationem habendam eſſe cenſuit.

Gloria æmulationis.

GRÆCIA, ex quo Medicis fuit terroribus defuncta, in diverſa populorum ſtudia æmulatione accenſa, eò uſque mutuis offenſis proceſſere, ut animis non minùs infeſtis in ſe bellarint, quàm in Barbaros aliquot ante annis fecerant. Enimverò Athenienſes Meſſenia expeditione à Lacedæmoniis, ſoli omnium ſociorum, non ſine ignominiæ ſuſpicione dimiſſi, Cimone in exilium acto (habebatur enim Lacedæmoniorum ſtudioſus) ſocietatem ſolverunt, quam cum B ea civitate jam inde à Medicis temporibus contractam habuere, iniveruntque cum Argivis Spartiatarum hoſtibus novam, eſtque inter utroſque ictum adverſus Theſſalos fœdus. *Sab. l.5. Enn.3.*

Magnus Sfortia, cum Braccio Montonienſi, ætate, fortuna virtuteque fermè æquali, arctiſſima familiaritate conjunctus, adeò fraternè & liberaliter amicitiam excoluit, ut aliquot annis inter ſe, duo longè omnium in Italia maximi futuri duces, conſilia, arma, equos, pecuniam & tabernacula in communem uſum conferrent, iiſdemque vexillis, & laciniarum coloribus uterentur. Sed eam demùm amicitiam jampridem obtrectatione gloriæ, & virtutis æmulatione comminutam, Sfortia graviſſimis offenſus injuriis, poſt xxx. annos adaperto tandem animo, & libero ore penitùs abrupit: quum ipſo Sfortia ad Beneventum in carcerem conjecto, Braccius nihil amici calamitate permotus, violata repentè amicitia, ea oppida, quæ ſunt in Thuſcis inter Caſſiam viam & Aureliam Sfortianæ ditionis, Angelo Lavello, cui ob hæſitantiam linguæ Tartaliæ cognomen fuit, invadenda occupandaque tribuiſſet. Per hunc modum inter ſe C diducti accenſique odio Sfortia & Braccius, Italicæ militiæ principes effecti, magnoſque exercitus ductantes, de nomine ſectas condiderunt. Quibus demùm liberarum civitatum, regum ac pontificum opes vehementer attritæ convulſæque ſunt: quum veluti ex condicto, pudenda ejus ſeculi conditione, ad alenda bella ſæpè altercantes, & ſemper adverſi, modò his, modò illis mercenaria arma inferrent, ac ſuſtinerent. *Iov. in ejus vita.*

Dedecoris amoliendi.

Perſis Romani annuatim libras quingentas auri pacis nomine pendebant. Juſtinus Imp. aurum ſolvere noluit, & Aretham Æthiopum regem induxit, uti Perſas popularetur. Ita novum bellum exortum eſt. *Cuſp.*

Amicorum.

PLATO à Dionyſio minore Siracuſiorum tyranno, Dionis hortatu, in Siciliam vocatus, propter philoſophiæ profeſſionem, gratiſſimus ab initio fuit tyranno. Adulatorum princeps Philiſtus veritus, ne per Platonem & Dionis augeretur potentia, & certum improbis exilium pararetur, Dionis per fictas calumnias ejiciendi auctor fuit. Plato quamvis D propter eruditionem acceptus eſſet tyranno, tamen quòd de Dionis reſtitutione plurimùm laboraret, dimiſſus fuit: pollicente tyranno, ſeſe ſuo tempore Dionem revocaturum, & intereà fructum annuum bonorum illi miſſurum, etſi nihil horum præſtitit. Non multò poſt dimiſſi Platonis pœnitentia ductus, quòd philoſophorum diſputationibus, in quibus tamen excellere cupiebat, impar eſſet, ſummo rurſus deſiderio illius affici cœpit, & Archytam Pythagoreum induxit, ut promiſſorum ſuorum ſponſor eſſet apud Platonem, eumque acciret. Nam illo interprete jus inter eos amicitiæ & hoſpitii contractum primò fuerat. Miſit etiam Dionyſius triremes & amicos oratum Platonem. Scripſit inſuper ipſe apertè & diſertè, nihil ab ſe ut Dion benignum expectaret, ni adductus Plato eſſet in Siciliam venire: ſi veniret, omnia. Rediit ergo Plato in Siciliam, tanta cum tyranni gratia, ut unus ex omnibus non præſentatus illum adiret. Poſtquam defluxerunt primæ invitationes, ingreſſo de Dione agere Platone, procraſtinationes primùm fuere, expoſtulationes inde, & ſimultates apud alios tectæ, cùm occuleret eas Dionyſius, aliiſque obſequiis Platonem & honoribus abducere ab Dionis tentaret amicitia: nec ipſe ſtatim E Plato perfidiam & vanitatem ejus aperiret, ſed toleraret eas diſſimularetque. Cùm ita eſſent inter ſe animati, & fallere putarent omnes: Helycon Cyzenus unus ex Platonis familiaribus defectionem Solis prænunciavit. Qua, ut prædixerat, conſecuta, affectus admiratione tyrannus, donavit ei argenti talentum. Tum Ariſtippus ludens apud alios philoſophos, rem ſe quoque retulit prænunciare admirabilem poſſe, Platonem & Dionyſium brevi inimicos fore. Hinc Dionyſius bonis Dionis diſtractis, pecuniam ipſe retinuit: Platonem in hortis, qui ædibus ipſius erant annexi, divertentem, migrare juſſit inter milites mercenarios, jamdudum ei infeſtos, & interficere quærentes eum, quaſi ponere Dionyſio tyrannidem, & vivere ſine corporis cuſtodibus conſuleret. Diſcriminis, in quo poſitus Plato erat, Archytas factus certior, miſſis properè cum navi triginta remorum actuaria legatis, repetiit illum à Dionyſio, prætendens, ſe fidei publicæ expromiſſore, navigaſſe eum Syracuſas. Sic Plato indignabundo tyranno dimiſſus, Athenas venit. Ibi confirmato Dione (ægerrimè ferente, uxorem ſuam alteri à tyranno nuptui datam) ad bellum tyranno inferendum F impulit. Iſque adeò militibus circiter octingentis, duabus onerariis vectis, è Zacynthiorum inſula ſolvens, tyranno cum LXXX. navibus in Italia abſente Syracuſas occupavit, & adamantinis vinculis, Vi ſcilicet Metuque, conſtrictam tyrannidem diſſolvit. *Plut. in Dione.*

Imperii.

POENI cum Romanis quater fœdus percuſſere, antequam æmulatio in apertum bellum erumperet. Primum anno V. C. 243. Secundum anno 405. Tertium 447. Quartum 474. Bellum Punicum primum 486. cœpit, 512. pax facta. Secundum verò anno 535. 551. pax. Tertium denique an. 603. quo funditùs exciſa eſt Carthago.

C. OCTAVIUS Ciceronis opera & ſtudio Coſſ. adeptus contra M. Antonium, pactis non ſtetit, ſed Ciceroni & Optimatibus ſalutem dixit, Antonioque & Lepido conciliatus, conjunxit cum iis copias, imperiumque inſtar prædii eſt partitus. *Plut. in Cicer.*

VENETI, qui cum Galeacio Vicecomite Maſtini Scaligeri & Fr. Carrarienſis tyrannidem evertere, & illius filium Philippum ad paternum regnum recuperandum adjuvere: G mox ejuſdem potentiam veriti, ne ſubactis Florentinis in ſe arma converteret, inito cum Florentinis fœdere; varia fortuna cum illo bellum geſſere. *Sab.10. Enn. l.1.*

Servitutis amoliendæ.

LUDOVICUS Sfortia imperii Mediolanenſis obtinendi cupidus, Aragoniorum ac Petri Medicis metu, regis Galliæ Caroli IX. in Italiam tranſitum procuravit. Cujus adventu cùm voti ſui compos factus eſſet, Aragoniique in tantas anguſtias compulſi, ut difficulter propriam ſalutem tueri poſſent, ob ejus oculos novus metus, priore longè gravior ac juſtior, obverſari cœpit: nimirùm ſibi totique Italiæ impendens ſervitus, ſiquidem ad regis Galliæ potentiam regnum Neapolitanum accederet. Eam ob rem, ut Carolus in Hetruria omnia difficiliora inveniret, optaverat. Sed cùm vidiſſet eum ſibi ſumma facilitate & Florentinorum Rempub. adjunxiſſe, & Pontificis Alexandri VI. conatum eluſiſſe, quòdque nemine repugnante, jam in regnum Neapolitanum penetraret: tantò ei majus in dies ſuum periculum videbatur, quantò major ac facilior victoriæ Gallorum curſus evadebat. Idem timor animos quoque Veneti ſenatus occupavit, qui primùm ſe à partium ſtudiis H integrum conſervarat. Itaque Ludovici ſuaſionibus Veneti cum Pontifice & Aragoniis contra Carolum fœdus percuſſere, eique ad Tarrum fluvium Neapoli redeunte obvii facti, victi ſunt. *Guicciard. l.2.*

Inter Mauritium Saxoniæ Ducem & Albertum Marchionem Brandeburgicum, cùm eſſent æquales, maxima ſemper fuerat neceſſitudo, ſic ut nihil eſſet illis conjunctius. Tribus enim bellis ambo ſimul Cæſari militarant, Gallico, Smalcaldico, Magdeburgico: deinde quartum atque poſtremum anno 1552. pro liberando Jo. Friderico Saxone & Philippo Lantgravio Haſſiæ, in Cæſarem ſuſceperunt. Quo per compoſitionem Patavienſem ſublato, cùm Albertus & Epiſcopos & civitates liberas pro libidine promeret, publicæ libertatis cauſa ab eo diffidere cœpit, & in agro Heildeſheimenſi ſignis collatis, victor Mauritius cum Carolo & Philippo Brunſuicenſibus ictu bombardæ periit. *Sleidanus lib.27.*

AMICITIA RESPECTU NUMERI CONSIDERATA

MULTI AMICI. ΠΟΛΥΦΙΛΙΑ.

Lucianus in Toxoride narrat, apud Scythas πολυφιλίαν non aliter infamem fuiſſe, quàm apud alias gentes unius mulieris cum pluribus viris conſuetudinem. Quamquam diverſa ſentit *M. Tullius in lib. de Amic. & Plut. in comment.* περὶ πολυφιλίας. *Eraſm. in Adag.*

NAMERTES legatus miſſus, cùm ejus loci quidam beatum ipſum prædicaret, quòd multos haberet amicos, requiſivit, An probatum haberet, qua ratione multos amicos habere ſe quis ſciret? Deſideranti id diſcere alteri: Adverſa, inquit, fortuna. *Plut. in Laconic.*

NULLI AMICI.

CUIDAM glorianti, quòd nullum haberet inimicum, occurrit alter quærens, An & amicum haberet?

AMICITIA INTER SIMILES BONIS MALISVE ANIMI. Ut putà in

THEORICIS STUDIIS, CONDISCIPULI vel Collegæ amici.

PHILOSTRATUS & Hippoclides philoſophi, eodem die nati, ejuſdem præceptoris Epicuri ſectam ſecuti, patrimonii etiam poſſidendi, alendæque ſcholæ communioni conjuncti ſunt. Tam æqualem fortunæ pariter atque amicitiæ ſocietatem ingenitam habuerunt. *Val. Max. l.1. c. de mirac.*

MENANDER Comicus Demetrio Phaleræo amicus ſummus. Demetrio ab Athenienſibus in exilium acto, Menander de capite periclitaturus fuerat, niſi à Teleſphoro Phaleræi genero defenſus fuiſſet. *Acron. & Plut.*

P. VIRG. Maro Cn. Corn. Gallum ita dilexit, ut decimam Eclogam de Lycoride ejus amica (quæ alioqui Cytheris dicebatur) ſcripſerit. Item 4. *Georgic. lib.* ferè uſque ad medium, laudes ejus recitat. Quem tamen poſteà, jubente Auguſto, in Ariſtæi fabulam commutavit, quando Gallus de inſolentia & tyrannide, quam contra Ægyptios, quibus præfectus fuit, exercuerat, accuſatus, ſibiipſi manus intulit. *Gyrald. Dialogo 4. hiſt. poet.*

APOLLONIUS Alexandrinus Grammaticus ſub Claudio Romæ, ob Heraclidis Pontici amicitiam mutuam, Anteros dictus eſt. *Suidas.*

PROÆRECIUS è Cæſarea Cappadociæ ſophiſta Athenas profectus, ſub Juliano ita profecit, ut primus omnium diſcipulorum habitus ſit. Ephæſtionem condiſcipulum comitem ſibi adjunxit, tanta charitate, ut unanimes perſeverarent, una veſte uterque contentus, brevi & paupere ſupellectile. *Eunap. in vita Proæreſii.*

GREGORIUS Nazianzenus, & magnus Baſilius, Athenis ſub iiſdem præceptoribus educati, tantam inter ſe contraxere familiaritatem, ut veteribus amicorum paribus conferri poſſint, anteferri meritò debeant, quia & eruditionis & religionis cauſa conjuncti fuere. In Ponti ſolitudine ſimul per 13. annos vixere.

D. AUGUSTINUS, & Alipius eodem municipio Africæ nati, Tagaſta videlicet, in iiſdem quoque ſtudiis nutriti, eadem ferè ætate (niſi quòd minor natu fuit Alipius) hæreticus uterque, tandem Mediolani opera D. Ambroſii converſi, baptiſmum ſuſcepere, & inde patriam repetentes, Auguſtinus Hipponenſis, Alipius Tagaſtenſis Epiſcopus factus eſt, & à teneris cœptam amicitiam indiſſolubilis charitatis vinculo conſervarunt. Meminit ejus paſſim *Aug. in lib. Confeſſ.*

D. HIERONYMO amiciſſimi fuerunt Pammachius & Oceanus, quod ex ipſius Epiſtolis liquet.

EUSEBIUS Cæſarienſis Epiſc. in Palæſtina, tanto amore Pamphilum presbyterum ſuum, patria Laodicenum, fuit proſequutus, ut nomine ipſius cognominis ſui loco uſus ſit. De ejus denique vita libros tres elegantiſſimos ſcripſit, qui tamen non extant.

JOANNES Caſſianus, & S. Germanus monachi, individua & peregrinationum & ſtudiorum voluntate conjuncti fuerunt. Teſtis ipſemet *Caſſian. in 1. lib. Collation. c.1.* Peragrarunt Scythiam, Palæſtinam, Meſopotamiam, Cappadociam, Ægyptum, Thebaidem, &c. vitæ monaſticæ & eruditionis ergo.

FRAN. Petrarcha cum Jo. Boccatio Florentiæ amicitiam contraxit, tanta felicitate, ut alter alterius faciem in gemma annuli geſtaret. Hinc illud *Petrarchæ*:

Dulcis amice vale, tua nunc mihi ſemper imago
Præſens eſt, mecumque ſedet, mecumque quieſcit.

Hier. Squarzaficus in vita Petrarchæ.

JOANNES princeps Megalopurgenſis egregiè doctus, xx. annos operam dedit literis Pariſiis, & commilitones habuit ſcholaſticos duos Reges, Maſſilienſem & Cyprium, atque utrique ſororem dedit in uxorem: habuit & commilitonem ſcholaſticum Comitem Hennebergenſem, cujus ſororem ipſe duxit. *Munſter. in Coſmogr.*

PRACTICIS. NEMPE

Religione.

Religionis ſummus nexus eſt. Hinc proverbio, eiſdem dicuntur ſacris uti, qui unanimiter conſpirant. *Cæl. l. 12. c.12. A. L.*

Profani homines jam olim divini cultus cauſa inſtituere ſocietatis, ſeu fraternæ charitatis Collegia, illiſque magiſtros dedere, qui ſtatutis diebus reliquos ſocios convocarent, ad cæremonias nonnullas concelebrandas. Duravit inſtitutum, abiitque in varias ſocietates, quas vulgò Confraternitates dicunt. Ii ſtatis diebus mutua charitate conveniunt, orant, ſacerdotes conducunt, qui rem divinam faciant: pauperes alunt, ſexcentaque pietatis officia quotidie faciunt. In ſupplicationibus publicis ordine procedunt, ut plurimùm ſaccis linoque ora contecti, ſeſe flagello converberant, nudum ac lacerum tergum ferientes, velut verè pœnitentes decet. Unde Ninivitas doctos volunt, quòd eodem modo Deum placare ſtudeant, atque Ninivitas olim monitis Jonæ prophetæ pœnituiſſe conſtat. *Polyd. l.7. c.6. de Rer. inven.* Sic apud Rom. erant Titii, Auguſtales, Hadrianales, Antoniani ſocietates. *Ibid.*

Acca Laurentia, vel, ut alii volunt, Romulus Romanæ conditor urbis, XII. fratres & ſacerdotes Arvales Romæ inſtituit: quibus tanta vitæ fuit ſocietas, ut nullo omninò ſucceſſu vel caſu, ſed vita tantùm finiretur. *Alex. ab Alex. l.2. c.26.*

ARMENII, qui Philippopoli erant, Alemannorum, quos in Palæſtinam ducebat Fridericus Barbaroſſa, tranſitum, non hoſtium incurſionem, ſed amicorum adventum judicabant: Nam commercia inter ſeſe agitabant, & in pleriſque religionis dogmatibus conſentiebant. Quippè apud Alemannos & Armenios ſacrarum imaginum adoratio æquè interdicta erat, & azymis in ſacris utrique utebantur. *Nicet. l.2. de imperio Iſaacii Angeli.*

Virtute, Probitate.

PELOPIDAS & Epaminondas Thebani amici. Erat ad omnem virtutem uterque juxtà comparatus: niſi quòd exercitationibus magis deditus Pelopidas eſſet, Epaminondas diſciplinis, & quod eſſent otii nacti, hic in diſcendo & philoſophando poneret, ille in Palæſtris & venationibus. Inter multas & præclaras artes, quæ utrique gloriam conciliaverunt, nihil æquè admirati ſunt prudentes, quàm quòd per tot certamina, præturas, & publicas actiones, ſincera inter eos à primo ad ultimum neceſſitudo & amicitia conſtiterit. Vera cauſa virtus erat, per quam non gloriam, non opes, quæ gravem, & contentionum plenam ſecum invidiam trahunt, ex rebus geſtis captabant: ſed divino amore à principio inflammati ambo, ut opera ſua patriam redderent quàm clariſſimam & potentiſſimam, alter alterius decoribus ad id utebantur, ut propriis. *Plut. in Pelopida.*

Improbitate.

SYBARITÆ luxuriæ mancipati, ſicut in Suidæ monumentis proditur, Jonas eximiè colebant, ac exoſculabantur, quòd inter Græcos mollitie præſignes maximè forent. *Cæl. l.7. c.10. A. L.*

Συνῆλθον ἀτταβάς τε ϗ νουμήνιος, id eſt, Conjunctus eſt ſuo Attabas Numenio, dici ſolitum, quoties improbus aggregatur cum improbo. Diogenianus tradit, hos inſigne par furum fuiſſe. *Apud Laert.* Timon Nicæus hoc proverbio notabat eos, qui putabant, intellectui atteſtanti ſenſibus eſſe credendum, quum ipſe nec rationi, nec ſenſibus aſſentiendum putaret. *Eraſm. in Adag.*

NERO amicitia utebatur Othonis & conſuetudine ob profuſionem ejus, ac cùm ab eo derideretur ſubinde ſordium & parcitatis cauſa, lętabatur. Fama eſt, cum Nero aliquando pretioſo unguento, quo unctus fuerat, Othonem aſperſiſſet, illum contrà inſequenti die excipientem Neronem, repentè fiſtulas aureas & argenteas diverſis locis propoſuiſſe, quæ quaſi aquam magna vi fuderunt unguentum. *Plutarchus in Galba.* Cùm Neroni aliquando diceret: Tu me quoque Cæſarem videbis, tantùm Nero reſpondit: Te ne conſulem quidem videbo. *Dion.*

Mechanico ſtudio.

APELLES Protegentem pictorem propter artis excellentiam admiratus, operibus ejus primus denegationem conſtituit, cùm à Rhodiis negligerentur. ☞ *Vide Tit. Pictorum.*

Ut in Velabro Olearii, proverbiali ſimilitudine circumfertur de iis qui conſpirarunt, remque gerunt ex compoſito. *Plaut. in Captiv. duo.*

—— una res,
Omnes compacto rem agunt, quaſi in Velabro olearii.

Velabrum autem, auctore Varrone, locus erat Romæ, quo Olearii diſtrahebant oleum. Mos eſt autem huic hominum generi, ut inter ſe de pretio conſpirent, quò pluris vendant. *Eraſm.*

FORTUNÆ. AMICI SIMILES DIGNITATE. Huc

Reges inter ſe amici.

AGRIPPA Herodis nepos cum Cajo Tiberii nepote familiariſſimè vixit, & propterea à Tiberio in vincula conjectus eſt, quòd aliquando cum Cajo vectus, eum Imperio digniorem eſſe, quàm Tiberium protuliſſet. *Ioſeph. l.18. c. Antiq.*

THEODERICUM Oſtrogotorum regem, Zenon Imper. Conſtantinopoli honoribus & divitiis auxit, magiſtrum militum & conſulem ordinarium creavit, & inſigni triumpho ornavit: eidemque dono dedit regnum Italiæ, commendans ei urbem Romam, Senatum, populumque Romanum. Theodericus itaque Conſul Romanus cum ingenti exercitu Italiam petiit per Illyricos, occurrentem Odoacrem Herulorum regem prælio vicit, & Ravennæ triennio obſeſſum, tandem cepit & interfecit. *Cuſp.*

CELRICUS, & Ceoloulphus ſive Quichelmus, Occidentalium Saxonum reguli in Anglia, dicuntur diviſo æqualance regno concordiſſimè vixiſſe, & ut ambo juſti, pari voluntate ac ſtudio, ſuis clementer imperaſſe. Et huic integritati divina fertur acceſſiſſe gratia, quòd Chriſtiani facti ſint: ac ad ultimum, ut ſimul cœperant, ita regnare deſiverint, per idem ferè tempus mortui. *Polyd. l.4. hiſt. Angl.*

Dani cum Gothis diu bellum geſſerant. Tandem Hundingus Gothus cum Hadingo Dano fœdus percuſſit, ut viventes amici eſſent, & alter alterius fato cognito, mortem ſibi quantocyùs acceleraret, ne abſque comite ſolus ad infernas ſedes properaret. Itaque cùm allatum eſſet falſo rumore, Hadingum Daniæ regem inſidiis Gutthormi (cui ſororem Alvildam conjunxerat) periiſſe, Hundingus convocata totius regni nobilitate, convivium magnificum tanquam mortuo amico parentaturus inſtruxit, & ne quicquam regiæ magnificentiæ deeſſe videretur, juſſus à Rege promus condus dolium cereviſia vel mulſa plenum aulæ in medio collocavit. Ipſe rex poculum circumferens, pietatis miniſterium implere putabatur. Igitur poſtquam omnes ebrietate obrutos advertiſſet, ſeipſum in dolium dulciſſimi liquoris præcipitavit. Hadingus, ut amico regi gratiam referret, toto populo inſpectante, ſeſe (ne perfidia notaretur) laqueo ſuſpendi permiſit. *Io. Magnus lib.2. c.14. hiſt. Gothorum.*

ASMUNDUS, Alfi Hetmarchiæ regis filius, in venatione à retiariis aberrans, poſt multos errores in Biorni Vichienſis regis ædes pervenit, & cum Aſuito ejus filio tantam amicitiam contraxit, ut jurejurando ſeſe pariter aſtringerent, ne alter alterius fato ſupereſſet, ſed communi tumulo vivus cum mortuo includeretur. Aſuitus prior in fata conceſſit. Ei ergo Aſmundus ſe contumulari voluit. Alfus nocturno tempore redivivus canem & equum ſecum conſepultos dentibus dilaniavit: deinde ungues in Aſmundum convertens, avulſis auribus genas quoque illius dilaceravit. Quod ipſum Aſmundus, ab Erici Danorum regis, Rollerum fratrem in Norvegiam reducturi, militibus theſauro inhiantibus repertus, ipſemet regi narravit. *Io. Magnus l.4. cap.29. ex Saxone.*

OFFICIO. INTER SE AMICI COLLEGÆ in *Magiſtratu.*

☞ *Conſule Tit. Socium in imperio ferre poſſe.*

DEMETRIUS Poliorcetes, quum aliquando à venatione rediret, ad patrem Antigonum Aſiæ regem, legationem jam audientem, ſuccinctus ut erat telis, acceſſit, eumque oſculatus conſedit: Hæc, inquiens, concordia, regni noſtri tutiſſimum erit præſidium. Diſcedentibus inde legatis: Renuntiate, inquit Antigonus, ò viri, talem amorem, animique pietatem, qualem vidiſtis. *Plut. in Demetrio.*

M. ANTONIUS Philoſophus cum fratre L. Aur. Vero Commodo mirabili cura & providentia temperaverunt graviſſima incommoda Urbis, quæ inundatio Tiberis fecit: qua multa Urbis ædificia corruere, & animalia periere, & fames graviſſima ſubſequuta eſt. *Sextus Aurel.*

Experimenta non rara ſolùm, verùm penè unica veræ amicitiæ ea fuerunt, quæ inter ſe Diocletianus & Maximianus Herculeus Cæſares ediderunt. Diocletianus Maximianum imperii collegam ſibi primus adoptavit: Imperium concordibus animis adminiſtrarunt, illudque ſimul etiam depoſuerunt.

GALEACIUS II. & Barnabas Vicecomites fratres concordibus animis uſque ad vitæ exitum, quanquam diviſo imperio, regnarunt, mutuiſque opibus bella geſſerunt, communem eum ducentes hoſtem, qui in ipſorum alterum arma moliretur. Ea enim æquitate defuncti Matthæi fratris hæreditatem inter ſe diviſerant, ut urbem Mediolanum ab ortu Solis ad occaſum per regiones ducta linea partirentur, & in urbe ſingulas arces ambo conderent, Galeacius ad Joviam portam, quæ Comum ducit, Barnabas ad Romanam, quòd huic Conchana domus, illi Actiana curia, ſicuti Matthæo antea antiſtitis Joannis ædes, ſorte obveniſſent. *Iovius in Galeacio II.*

Militia. Commilitones amici.

LACEDÆMONII ante pugnam Amori ſacrificabant, veluti in amore certantium certa amicitia victoria conſiſteret. Cretenſes in præliis optimos ac pulcherrimos amore devinctos ſecernebant, ac per eos annua ſacra fiebant. Apud Thebanos Sacra cohors appellata, ex amatis ac amantibus conſiſtebat, ut tradit Alexis, in qua ſumma erat fiducia. Ex *Athenæo* recitat *Volat. lib.32. Philologiæ.*

PATRIA. POPULI EJUSDEM LINGUÆ AMICI, confœderati.

Confœderationes populorum inter ſe, propter potentiam armorum, ferè duodenario numero comprehenſæ Jonum in Aſia XII. *teſte Herod. lib.1.* Æoliorum XII. teſte eodem. Achæorum XII. uti *Polybius lib.3. & 4. Plut. in vita Arati.* Hetruſcorum XII. Helvetiorum hodie XIII. Suevorum, *teſte Cæſare lib. com.* pagorum centum, omnium maxima. *Bodin. in Methodo hiſt.*

GRÆCI poſt partam de Perſis victoriam ad Mycacalem Joniæ, conſultabant de gente Jonica transferenda, & ubinam in Græcia illam locari oporteret, cujus ipſi imperium obtinerent. Neque enim videbatur eis fieri poſſe, ut per omne tempus Jonibus tutandis præeſſent. Magiſtratus Lacedæmoniorum cenſebant, emporia nationum Græcarum, quæ cum Medis ſenſiſſent, ejectis incolis, danda cum territorio Jonibus habitanda. Athenienſes è contrario, non eſſe principatum Joniæ ſummovendum, nec Lacedæmoniis de ipſorum coloniis conſultandum. Et cùm in hoc contenderent Athenienſes, libentes eis ceſſere Peloponnenſes: atque ita Samios, Chios, Lesbios, ac cæteros inſulanos, qui ſecum militabant, ad ſocietatis fœdus adegerunt: data acceptaque fide cum jurejurando, ſe permanſuros in ſocietate, nec ab ea deſcituros. *Herod. lib.1.*

Tredecim hodie continentur pagis, uti vocant, Helvetii. Hi ſunt Tigurini, Bernates, Lucernates, Uranii, Suitenſes, Untervaldii, Tugiani, Glareani, Baſilienſes, Solodurii, Friburgii, Schafhuſiani, Abbecellenſes. Hi ſunt arctiſſimo fœdere conjuncti per jusjurandum, & æquali utuntur jure, ac veluti communem rempublicam adminiſtrant. Ex iis omnium primi fœdus inierunt Uranii, Svitenſes, Untervaldii, quum ejecta nobilitate, qua premebantur, in libertatem ſeſe vindicarent. Fuit hoc anno Salutis 1315. His deinde Lucernates, poſtea Tugiani, ſexto loco Tigurini, & ab his Bernates acceſſerunt. Baſilea ferè poſtrema ſeſe conjunxit. Eorum deinde ſunt facti ſocii, ſed non iiſdem legibus, neque tanta neceſſitudine, Rhæti, Lepontii, Seduni, Veragri, Sangalli, Mulſiani, Rotuilenſes. *Sleidan. lib.3.*

SVEVICUM fœdus, cujus armis Ruſticorum ſeditio anno

no 1525. oppreſſa eſt, multò antè factum fuit. Initio quidem in annos octo, deinde tres, pòſt duodecim, inde decem: anno verò Sal. 1522. renovatum fuit in annos undecim, paulò antè quàm Cæſar in Hiſpaniam rediret. Hujus autem fœderis erant, Cæſar, ut Auſtriæ princeps, pòſt etiam Ferdinandus frater, item Moguntinus, Palatinus, Saliburgenſis, Bambergicus, Vviciburgenſis, Aiſtetenſis, Auguſtanus, Epiſcopi; Gulielmus & Ludovicus fratres, Bavariæ principes, Otho Henricus & Philippus Palatini fratres, Georgius Brandeburgicus & Albertus è fratre nepos, Philippus Haſſiæ Langravius, multi præterea viri nobiles & Eccleſiaſtici, dein Sveviæ civitates pleræque omnes, & in his etiam Norimberga. *Sleidan. lib.4.*

AMICITIA INTER DISSIMILES VEL NATURA.

Utputa

Deorum amici. SPIRITIBVS familiares.

☞ *Non de turpi Amore hic loquimur, cujus exempla ſub Tit. Amaſiorum reperies, quo Poetarum referti ſunt libri; ſed de honeſta verèque divina Benevolentia Dei opt. max. ſive (qui ejus ſimiæ eſſe volunt) Dæmonum atque Deorum ethnicorum. Exempla ex Tit. Divino abſoluti judicio, peti poſſunt. Huc denique omnes Divinationes, Oracula, Auguria referri debent, per quæ homines de impendentibus malis boniſve à Diis monentur.*

De legislatorum veterum converſatione cum diis ſic ſcribit *Plut. in Numa*. Cùm ex fabulis conſtet, deos Pindaro, Archiloco, Heſiodo, Sophocli, benevolos & propitios fuiſſe, tum vivis tum mortuis, non abnuemus Zalcuco, Minoi, Zoroaſti, Numæ, Lycurgo, regna moderantibus, & conſtituentibus reſpubl. deum uſum familiariter? An verò potiùs cum his deos dicemus, ut recta ſuggerant iis & moneant, eſſe ſeriò congreſſos: poetis verò & lyricis vibriſſantibus, ſi tamen unquam per luſum frui?

Cùm orbem terrarum Deus opt. max. propter peccata diluvio delere ſtatuiſſet, ſolum Noe juſtitiæ & pietatis ergo cum ſuis filiis & nurubus in Arca incolumé ſervavit. *Gen.7.*

Nulli hominum contigit tam familiare Numinis commercium, quàm Moyſi: nullus majore cœli favore ductavit exercitum, cui ſua ſpontè patuit mare, aquæ pumicibus exilierunt, quibus amaror inerat, dulces factæ. Idem cœleſti rore pavit populum ingentem, religione rexit, hoſtem precatione fudit. Nulli prima rerum origo fuit notior, & quæ proxima fuerunt originibus. Juventa exercita, exercitatior ſenecta: fama & celebritate magnus, ſed major prophetia, ac neſcio, an omnium etiam, qui omni memoria fuere, maximus. *Sab. lib.1. cap.6.*

Quàm charus Deo fuerit, ex eo colligi poteſt, quòd illum populo ſuo præfecit, & propter Moyſen eidem ſæpiùs ignovit: præſens denique præſentem in monte Sina allocutus eſt, deinde etiam in oraculari tabernaculo. *Exodi* 35. Neque verò Deus ferre potuit, ut Aaron & Maria contra eum immodeſtiùs loquerentur propter ductam uxorem Æthiopiſſam. Nam cùm jactarent illi, non Moyſi ſoli, ſed ſibi etiam locutum eſſe Dominum, evocavit utrumque ad oraculare tabernaculum, inquiens: Si quis erit veſtrum Dei vates, ego ei per viſa notus fiam, & in ſomnis cum eo loquar. At cum Moyſe meo non item, cui totius domus meæ fides habetur: quin eum præſens præſentem affabor, coramque ac ſine ænigmatis aut ſimulacro Deum aſpiciet. Contra hunc meum Moyſem loqui cur non metuitis? Itaque Maria leproſa reddita, Moyſis interceſſione poſt ſeptem dies liberata fuit. *Num.*12.

Deus opt. max. cum populo Iſraelitarum, Moyſe internuncio, fœdus pepigit: mandata ſuo populo expoſuit per Moyſem. Quibus cùm ſe pariturum populus omnis reſpondiſſet, Moyſes omnia Dei dicta præſcripſit, poſtridie mane aram ſub monte Sina extruxit, & cippos duodecim pro numero tribuum Iſraelitarum: juvenibuſque mandavit, ut ſolidum ſacrificium facerent, & juvencos pro ſalute immolarent. Ipſe dimidium ſanguinis in crateribus excepit, altero dimidio aram perfudit: ſumptumque librum fœderis in auribus populi perlegit, & populus dixit, ſeſe omnia Dei juſſu facturum. Et Moyſes ſanguine populum aſperſit, his verbis: Hic eſt ſanguis fœderis, quod Deus vobiſcum in hæc omnia verba fecit. *Exod.*24.

Josepho fabro, jam ætatis exactæ, datum, ut regi regum & nutricius eſſet, & cuſtos. Nulli unquam ſanctior alumnus contigit, nulli auguſtior nutricatus. Primus omnium Deiparæ filium nuperrimè ortum vidit, primus adoravit, angelicos cantus audivit, Magos venientes excepit, infantem aſportavit, puerum requiſivit, & quod feliciſſimi cumulo miniſterii acceſſit, Chriſti pater & rector eſt dictus, qui omnium verus erat pater, & moderator ſummus. *Sab. l.1. c.6.*

Simeon ſenex, oraculo inſtructus, fore, ut non priùs humanis excederet, quàm Chriſtum videret, conſecutus eſt, ut vivens ſuis ſit amplexus ulnis eum, qui cœlum, & quæ cœlo continentur, uno fovet complexu. *Sab. l.1. c.6.*

De S. Gregorio recenſet in Vitis patrum *Gregorius Turonenſis cap.7.* nocte ad preces faciendas ſolitum ſurgere inſciis omnibus: oſtium baptiſterii divinitùs fuiſſe apertum, ac auditas ibi voces pſallentium trium horarum ſpacio. Exiſtimat autem, in eo loco ſervatas reliquias ſanctorum, ipſi ſeſe pſallenti adjunxiſſe.

Sigebertus ſcribit, S. Benedicto ad montem Caſſinum iter inſtituenti, ad omne bivium duos angelos occurriſſe, viam ipſi monſtrantes.

Ulyssi Minerva ſemper aſſiſtit, neque ſe illum unquam deſerere aſſerit, *Odiſſ. N.*

Οὕνεκ' ἐπητής τ' ἐσὶ καὶ ἀγχίνοος καὶ ἐχέφρων.

Pandarius Mileſius, è Mileto Cretæ urbe, Tantali ſcelerum ſocius, filias habuit duas, Camiro & Clytien, de quibus Penelopen Homerus dicentem fecit, dum virgines etiamnum eſſent, ereptos illis deorum ira parentes, orbas à Venere educatas, tribuiſſe verò illis deas certa munera: Junonem prudentiam & formoſitatem, corporis proceritatem Dianam, Minervam lanificium, & quicquid mulieribus didiciſſe in laude ducitur. Poſtremò Venerem in cœlum aſcendiſſe, quò è Jove puellis fauſtas nuptias conficeret, cùm intereà Venere abſente ab Harpiis abreptæ, ditis traditæ fuerint. *Pauſan. in Phocicis.*

Oeno, Spermo, Elais, Anii & Dorrippes Ff. Dionyſio ita charæ fuerunt, ut quicquid tangerent, in triticum ſtatim verteretur, & vinum, & oleum: undæ dictæ Cænotropæ, quaſi in novas formas omnia vertentes. *Cal. l.7. c.15. Ant. Lect.*

Pindarus Thebanus lyricus, Apollini adeò charus, ut eorum munerum, quæ in ipſius dei templo offerebantur, partem acciperet, in dieſque à ſacerdote vocaretur ad cœnam. Id enim antè apud Delphos Pythia prædixerat. *Gyrald. Dialogo 9. Hiſtor. poet. & Cal. l.15. c.21.* Idem à Pane cantilenam quandam ex ſuis cani audivit. *Plut. contra Epicureos, & in Numa.*

Ab Apolline fabulantur adamatum Sicionyum Hippolytum: cui, ajunt, quoties à Sicyone tranſmitteret Cirrham, ſortes Pythiam quaſi ſentiente deo & exultante dediſſe, vaticinarique hunc verſum ſolitam:

Iamque iterum Hippolyti charum caput æquora ſulcat.

Plut. in Numa.

Lycurgus à Pythia ſalutatus,

Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν.

Intimus ille Iovi, cunctorum & cœlicolarum.

Plut. contra Epic.

Sophoclis etiam vivi Æſculapium hoſpitio uſum, fama eſt. *Plut. in Numa.*

Obiit diem Sophocles per id tempus, quo Lyſander Lacædemonius Athenas obſidione preſſit. Ferunt, illum per quietem à quodam dæmone (*Plutar.* Bacchum fuiſſe ſcribit *in vita Numæ*) monitum, ut veniam vati ſuo daret, patereturque illius funus celebrari. Qui ubi Sophoclem extinctum indicio comperit, tamdiu Athenienſibus inducias ultrò dedit, quoad patrio more ſit ille funeratus. *Sab. l.9. En.3.*

Philemon comicus Muſis amicus, jam centenarius, vidit in ſomnis novem virgines ex ædibus ſuis exeuntes, quas interrogare ſibi videbatur, Quid ſibi vellent, Quòd à ſe recederent? illas autem reſpondiſſe, Se feras prodire. Experrectus, puero narravit omnia, quæ audiverat, & quæ dixerat. Deinde comediæ, cui ſcribendæ intentus erat, reliquum abſolvit, & involutus, quietè dormivit. Qui intus erant, detecta facie mortuum viderunt. Muſas autem fuiſſe novem virgines, *Ælian. in lib. de Provid. apud Suidam* exiſtimat.

Archilochus Parius jambographus, à Calonda milite Naxio, qui Corax fuit cognominatus, occiſus fuit in prælio. Hinc cùm Calondas Pythium templum ingrederetur, Pythia exclamavit, μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι νηοῦ. Verùm quia illi prælii neceſſitatem objiciebat, juſſus eſt ad Tænarum proficiſci, & illic τέττιγι, id eſt, Archilocho, qui ſe Cicadam appellabat, ſimul & patri ejus Teleſicli parentare. Quod cùm feciſſet Calondas, à Dei ira liberatus eſt. *Plut. in lib. De iis, qui à diis ſero ſunt puniti, & Suidas.*

Æſo-

Æsopum fabulatorem ferunt adeò diis charum fuiſſe, ut & revixerit: ſicut Tyndareus, Hercules, & Glaucus. *Suidas.*

Phidias architectus Jovi Olympio ſignum cùm feciſſet ex ebore, id ſibi gratum fuiſſe Jupiter fulmine declaravit.

Clearchus Lacedæmonius, cùm à Perſis trucidatus & inſepultus abjectus eſſet, cumulo arenæ, vi procellæ contectus eſt. Ita Artaxerxes Rex magna ductus eſt pœnitentia, quòd virum diis charum peremiſſet, eò quòd à partibus Cyri fratris ſtetiſſet. *Plut. in Artaxerxe.*

Dæmonem Socratis Deum appellatum, auctor eſt Proclus, idipſum Platonis auctoritate in Apologia, & in Alcibiade primo, quem interpretabatur, corroborans. Erat verò dæmon hic Socraticus tum igneus, quia ad contemplationem cœleſtium rerum Socratem inflammabat, tum etiam Saturnius, quoniam abductum à ſenſibilium cura, intellectu plurimùm vivere hortabatur. Hunc ſenſu percipiebat, ſed non corporis hujus: verùm, ut Platonici perſuaſiſſimum habent, ſenſu ætherei corporis intra hoc deliteſcentis. Qua item ratione ab Prophetis videri ſolitos, audirique angelos, credit Avicenna. *Plut. lib. de Socratis dæmonio* refert, redditum patri Socratis oraculum, ne quem illi omninò adhibere tentaret, aut porrò inducere ſuaſionibus pergeret; ſed ſuo ipſius arbitrio permitteret, fuſis Jovi Agoræo precibus, atque item Muſis: habere enim præceptoribus univerſis, aut etiam pædagogis, ducem anguſtiorem. Dignum ſcitu & illud, putaſſe quoſdam, Socratis dæmonium fuiſſe πταρμὸν, hoc eſt, ſternutamentum, quo dextra in parte obveniente ad agendum concitaretur, in ſiniſtra verò averteretur. *Cal. lib.2. cap.10. A.L.*

Hermogenes ſic de ſeipſo ait: Qui omnia ſciunt & omnia poſſunt dii, adeò me charum habent, ut ex ſolicitudine, quam de me gerunt, nunquam quocumque vel nocte vel interdiu animum appellem, vel quicquid inſtituam agere, ignorent. Quia verò, quid ex quoque eventurum ſit, præſentiunt: ſignificant id mihi per nuncios, quos mittunt, rumores, inſomnia. *Plut. contra Epicurum.*

Ob Citharœdum, qui in certamine in honorem Junonis inſtituto canebat, in templo interfectum, Sybaritæ graviſſimè puniti. Nam cùm adverſus Crotoniatas bellum gererent, ſubacti ſunt ab illis, & civitas eorum everſa eſt. *Ælian. lib.3. de Varia hiſt.*

Alexander Magnus ſtatuerat ad Ammonis oraculum proficiſci. Iter prolixum erat, ac cùm multorum laborum ærumnarumque plenum, tum cum duobus conjunctum periculis: uno ob aquæ penuriam, altero ob procelloſum in alto & vaſto ſabulo Auſtrum, qui Cambyſis olim exercitum ad quinquaginta millia capitum obruit oppreſſitque. Cæterùm arduum erat, Alexandrum, quocumque intendiſſet, ab eo deflectere, divina ope fretum. Primum enim cœleſtes aquæ & largi excuſſi imbres ſitis timorem diſcuſſerunt, ariditateque extincta ſabuli irrigati, & jam compactioris, liquidum aera reddiderunt & puriorem. Deinde confuſis, quibus duces itineris utebantur, notis, cùm erraret agmen per ignorantiam, atque ab itinere deflecteret, corvi oblati duces præbuerunt ſe. Si agmen ſequebatur, incitatis antecedebant pennis: ſin incederet lentiùs & tardiùs, operiebantur. Quod verò miraculum ſuperabat omne, ut auctor eſt Calliſthenes, vocibus & crocitu, ſi qui nocte aberrarent, hos revocabant, atque ad veſtigium viæ reducebant. *Plut. in Alexandro.*

Formosi Pontificis corpus, quod è ſepulcro erutum Sergius in Tyberim præcipitari juſſerat, cùm à piſcatoribus inventum, ad Eccleſiam S. Petri, ut ibi ſepeliretur, deferretur: ab imaginibus quibuſdam ſanctorum in ingreſſu templi magna reverentia adoratum, & ſalutatum eſſe, *Vincentius lib.24. cap.58.* ſcribit.

Brutorum amici. A Brutis amati.

☞ *Ex Tit. Vita conſervata à brutis, huc quædam.*

Elephantus quidam Alexandriæ Ariſtophanis grammatici rivalis fuit. Nam ejuſdem deperibant amore Coronariæ: cui elephas ferebat ſemper, cùm præteriret, ex foro poma, moramque apud eam trahebat, & proboſcidem intra tunicas ſicut manum inſerens, blandè ejus ubera contrectabat. *Plut. de Animantium comparatione.*

Draco, qui Virginem Ætolam amabat, tenebris commeabat ad eam, ſurrepenſque ad ſummam corporis cutem, complectenſque, nihil eam ultrò vel invitus offendebat, ſed placidè ſub diluculum recipiebat ſe. Quod cùm faceret aſſiduè, deportarunt propinqui mulierem remotiùs. Ille tribus aut quatuor noctibus non venit ad eam; ſed circumibat, ut putabatur, errans quærenſque eam. Quam ut tandem invenit, circum lapſus non de more ſuo lenis, ſed aſperior, ſpiris reliquis manus ejus corporis deligavit, & extrema cauda eam flagellavit, facilem & benevolam parcentis potiùs quàm punientis præ ſe ferens iram. *Idem.*

Delphini in Puerum Jaſſenſem benevolentia nihil reliqui ad ſummum amorem fecit. Ludebat cùm eo natabatque quotidie, ac contrectari ſe in cute ferebat ejus manibus: equitantem in ſe non rejiciebat, ſed portabat lætus: ac quocumque curſum ille dirigeret, eò ſe flectebat. Ad quod ſpectaculum cuncti ſimul Jaſſenſes ad litus quotidie currebant. Cum autem imber largus cum grandine aliquando fuſus eſſet, puer delapſus expiravit. Ibi Delphinus cadaver deportans unà cum eo impulit ſe ipſe in litus, neque abſceſſit ab eo, donec extinctus eſt: judicans, conſortem eſſe debere ſe, qui cauſam dediſſet lethi. Hujus caſus inſigne Jaſſenſibus moneta eſt imagine equitantis in delphino pueri. *Idem.*

Apud Nemeon in alto jactatum quendam ſuſtollentes delphini, & invicem ſuccedentes promptè, apud Rhion expoſuerunt, jugulatumque oſtenderunt. *Idem.*

Philinus in Ægypto peregrinatus, narravit, Anum ſe vidiſſe in Antæi oppido in grabato cum crocodilo concubantem, qui perquàm modeſtè ei ſe applicabat. *Idem.*

Athenæus 14. lib. δειπνοσοφιστῶν teſtatur, elephantem amore Infantis pueri captum, fidum cuſtodem ejus fuiſſe, & infantem ſaturum à nutrice ſolitum in medio crurum ipſius conſtitui: adeòque iiſdem muneribus, quibus nutrices, ſolitam eam belluam puerum curare, cunaſque movere, cùm ploraret, ut ſoſpiretur.

Bucephalus non inſtratus recipiebat in ſedem agaſonem: ſed cùm eſſet ornatu & phaleris regiis inſtructus, nullum niſi ipſum admittebat Alexandrum Magnum. In alios, qui ad id tentandum accedebant, infeſtus incurrens hinnitum tollebat, & inſultabat, eoſque, ni maturaſſent longiùs ſe proripere & aufugere, obterebat. *Plut. de Compar. animant.*

Pyrrhus, neſcio quis privatus, aluit canem: qui verſans circa corpus exanime, lectuloque, cùm efferretur, aſſultans, ad poſtremum conjecit ſe in rogum, ac cum illius corpore exuſtus eſt. *Idem.*

Pori regis elephas, in acie contra Alexandrum graviter ſaucii, multa jacula leviter & molliter proboſcide ſua evulſit. Qui quamvis eſſet ipſe graviter vulneratus, non ante elanguit tamen, quàm regem jam exanguem & defluentem percipiens, timenſque, ne caderet, ſenſim ſe ſubmiſit, præbuitque ei reclinandi facultatem. *Idem.*

Lysimacho, regi Thraciæ defuncto, Canis Hircanus adhæſit ſolus, & illato in rogum corpore, in eundem inſiliit. *Idem.*

RELIGIONE. FOEDUS ET AMICITIA INTER EOS QUI DIVERSÆ ſunt Religionis.

Cùm David Rex Judæorum Adarezer Soba regem viciſſet, Thoy Emath Rex metuens ſibi, miſit Joram F. cum magnis muneribus, qui Davidi ob debellatum Adarezer gratularetur, gratiaſque ageret, & cum eo fœdus faceret. David munera illa accepit, & in templo Hieroſolymis dedicavit. 2. *Reg.*8.

Hiram Rex Tyri legatos cum muneribus miſit ad Davidem regem Iſraelitarum, cùm Hieroſolymam expugnaſſet, ligna cedrina, & fabros lignarios lapidarioſque, qui ei domum conſtruerent, & cum Davide fœdus percuſſit. 2. *Reg.*5.

Salomon Rex ſapientiſſimus cum Pharaone Ægypti rege affinitatem contraxit, ducta illius filia. Item cum Hiram Tyriorum rege fœdus, quod cum patre Davide habuerat, confirmavit: ejuſque operariis uſus eſt ad cædendam materiam cedrinam in monte Libano, & conflanda omnis generis vaſa, ad ſtructuram & ornatum templi. Salomon viciſſim Hiram annuatim triticum, oleum, vinum, ad familiæ alimenta mittebat. 3. *Reg.*3. & 5.

Jorac Iſraelitarum Rex, bellum in Moabitas ob gentis defectionem ornare adorſus, ad Joſaphat Judæorum regem miſit, qui eum rogarent, ut ſocia ſecum arma in Moabitas jungeret. Reſponſum eſt, fore, ut non ſolùm Joſaphat cum ſuis auxiliis præſtò adeſſet, ſed Damaſcenum etiam regem in belli ſocietatem traheret. Hinc tres reges cum tri-

bus

bus regiis exercitibus in hoſtem profecti, ut ſuus eſſet occultior acceſſus, per deſerta iter intendunt, quibus ſanè locis eſt nonnihil ſiti laboratum. Cæterùm Heliſæi precibus nullum majus aquationis incommodum adiit exercitus. Moabitæ magna clade affecti, urbs regia obſeſſa. Rex ipſe filium natu maximum in muris pro ſalute regni immolavit. Eam crudelitatem deteſtati tres reges, obſidionem ſolverunt. *Sabell. lib.*1. *Ennead.* 2.

ASA, Judæorum Rex pius, ſacros theſauros omnes ad Benadad Syriæ regem miſit, fœderis cum eo ineundi ergo, & expeditionis contra Baaſam Iſraelitarum regem ſuſcipiendæ, qui Judæam infeſtis armis vaſtabat. 3. *Reg.*15.

Quòd Joſaphat Rex Judæorum alioqui pius cum Ochozia amicitiam inierit, reprehenditur à propheta Eliezer dicente: Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naves, nec potuerunt ire in Tharſis. 2. *Paral.*20.

IDEM, quòd Achab affini impio opem tulerit, reprehentur 2. *Paral.*19. à Jehu filio Hanani dicente: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris; & idcircò iram domini merebaris.

ARIUS, Lacedæmoniorum Rex, cum Onia pontifice Judæorum amicitiam & fœdus contrahere voluit, quòd & Spartani à poſteris Abrahæ originem ducerent, uti Judæi. *Ioſephus lib.*12. *cap.*5. *Antiq.*

JUDAS Machabæus, cùm à Demetrio Sotere Syriæ rege vehementer affligeretur, miſſis Romam duobus ex amicorum numero, Eupolemo Joannis & Jaſone Eleazari filio, rogavit, ut in ſocietatem reciperetur & amicitiam, & ut Demetrio ſcriberent, ne poſthac Judæos bello laceſſeret. Hanc legationem ſenatus admiſit, & auditis eorum poſtulatis amicitiam annuit; moxque ſenatuſconſultum de ea re factum inſcriptum æreis tabulis, relatum eſt in Capitolium: cujus exemplar in Judæam miſſum eſt. *Ioſephus lib.*12. *cap.*17. *ex* 1. *Machab.*8.

JONATHAS, Juda fratre mortuo, dux & Pontifex factus, fœdus cum Lacedęmoniis & Romanis renovavit: cum illis quidem, eò quòd priores Oniam pontificem ad amicitiam ineundam ſollicitaverant: cum his verò, ut illorum ſocietate à vicinorum regum injuriis tutiores eſſent Judæi. 1. *Machab.*12. *& Ioſeph. lib.*13. *cap.*9.

ANTIOCHUS Sedetes contra Demetrium Nicanorem bellum parans, etiamnum adoleſcens, miſſis literis & legatis ad Jonatham, ducem Judæorum, ſocium & amicum eum nominavit, & Pontificatum ei confirmavit, conceſſis etiam quatuor præfecturis, quæ Judæorum regioni attributæ fuerant. Ad hæc aurea vaſa & pocula veſtemque purpuream & jus utendi miſit ei, nec non fibulam auream, cooptato inter amicos primarios. Simonem etiam ejus fratrem militibus, quantum eorum eſſet Tyrum inter & Ægyptum, præpoſuit. *Ioſephus lib.*13. *cap.*9. *Antiq.*

SIMON, dux & pontifex Judæorum, cum Spartanis, deinde etiam cum Romanis fœdus renovavit, & Numenium legatum Romam miſit cum clypeo ingenti, mille minarum pondo. 1. *Machab.*14. *&* 15.

HIRCANUS III. Simonis F. cum Romanis fœdus renovavit, Simone Doſithei, & Appollonio Alexandri, & Diodoro Jaſonis legatis miſſis. *Ioſeph. lib.*13. *cap.*17.

VITIGES Gothorum Rex in Italia, cùm Beliſarii armis premeretur, legatos ad Coſroen, Perſarum regem, miſit, ut fœdere inito Coſroes in Oriente res Romanas affligeret, ne tota belli moles Gothis impenderet. *Io. Magnus lib. duodecimo, cap.*4.

GODOFREDUS, Hieroſolymorum Rex, ut portum haberet Hieroſolymis propinquum, unde auxiliis commeatibuſque ex Europa ſubvectis juvari poſſet, ac reliqua expedire conſilia, Joppen duxit, urbemque atque arcem ab hoſte dirutam, mira celeritate reſtituit, munivitque, opus ſummo ſtudio impigrèque facientibus Syris. Itaque continuò Aſcalonitæ, & Damaſceni pacem demiſſiſſimè petierunt. Ea utriſque conceſſa, ut commercio urbium opulentiſſimarum noſtri ſublevari, demptoque hoſtili metu, agri, quorum cura bellicis malis intermiſſa erat, recoli poſſent. *Æmil. lib.*5.

CALLISTUS tertius pontifex ad Uſumcaſſanum, Perſarum & Armeniæ principem, ad regem Tartarorum, Ludovicum Bononienſem Ordinis S. Franciſci fratrem miſit cum multis & magnis muneribus, eos in Turcam excitans; qui perſuaſu hominis, & magnas Turcis calamitates intulere, & oratores ſuos, quos ad Calliſtum deſtinaverant, ad Pium Pontificem demùm miſere. *Platina.*

LUDOVICUS Sfortia Mediolanenſium dux, principum conjuratione adverſum ſe cognita, cùm fruſtra Ludovicum XII. Gallorum regem, & Venetos de pace interpellaſſet, Bajazethem II. Turcarum regem contra Venetos terra marique excitavit. *Iovius lib.*6.

Poſteaquam Zizimus à fratre Bajazethe regno pulſus, deſperabundus ad Rhodios milites fugit, Bajazethes metuens, ne illorum opibus inſtructus bellum civile redintegraret, cum Rhodiis pacem fecit, Magiſtrum Rhodi precatus, ut Zizymum ſub alis ſuis foveret ac protegeret, pro annuo ſumptu pollicitus 450000. numum auri, Calend. Auguſti quotannis Rhodi exolvenda. *Cuſp.*

JOANNES Sepuſius, Tranſilvaniæ regulus, Ludovico Ungariæ rege in fuga ſubmerſo, in regem coronatus, profligatis ſuis copiis ad Tocajum à Ferdinando Auſtriaco, ad Hieronymum Laſcum profugit, virum inter Sarmatas clariſſimum. Is tanti hoſpitis occaſione lætus, ad id unum deſcendit, ut ab uno tantùm Solymanno Turcorum rege maturam opem peteret. Hoc erat conſilium, ut uſu apparuit, Joanni maximè ſalutare; ſed in cauſa Chriſtiana non obſcurè nefarium. Nec multò poſt decreto facto Liſcus, legatione ſuſcepta, Byzantium contendit, & oblatis muneribus, quæ elegantia potiùs quàm pretio placitura, grataque præcipuè uxoribus eorum futura non abſurdè exſtimarat, Purpuratorum non modò, ſed janitorum etiam amicitiam promeruit: & ſæpiùs apud Purpuratos ſine interprete loquutus, quòd Illyrica lingua omnibus ferè in aula eſſet familiaris, Joannis regis cauſam egit, atque eum mirificè commendavit. Petebat Laſcus à Solymano, ut Joannes, Ferdinandi Auſtriæ principis injuria, & quorundam Hungarorum perfidia regno pulſus, Pannoniæ Rex, & Othomannici nominis beneficiarius appellaretur, ideòque Turcicis armis in regnum reduceretur. Repudiatis igitur induciis, quas petebat Ferdinandus, valido exercitu Solymannus iter recta Budam petiit. *Iovius lib.*18. *hiſt.*

Turcæ Andream Quirinum, patritium Venetum, apud Alepum in Comagene clarum mercatorem, teterrimo ſupplicio affecerunt, quòd Caroli V. Cæſaris legatum, nomine Robertum, natione Britannum, ad Tanmaſum Perſarum regem penetrantem, jumentis, ducibus, atque pecunia juviſſet. Deſtinabatur enim Cæſar Solymanno Turcico Imp. poſt Tanmaſum debellatum, præcipuus hoſtis. Miſſus proinde legatus, qui cum Perſis amicitiam & fœdus agitaret, ut per eum Tammas majori tormentorum apparatu juvaretur, ſuppeditantibus è finitima India Luſitanis, qui ſe propter odium Turcici nominis Perſarum amicos & ſocios, quum expediret, fore profitebantur. *Iovius lib.*33. *hiſt.*

DIGNITATE.

HUC

Regum Amici.

ÆTHIOPIBUS mori fuiſſe aſſerunt, ut ſi quando Rex aliqua corporis parte ex quavis cauſa debilitaretur, domeſtici omnes ſponte ſua eandem partem debilitarent. Turpe enim exiſtimabant, rege claudo, non omnes amicos claudos eſſe: & quidem abſurdum videbatur, cùm veræ ſit amicitiæ, ex rebus adverſis amicorum dolere, lætari ſecundis, non & corporis quoque doloris amicos participes eſſe. Ferunt, conſuetudinis eſſe apud eoſdem, ut in regis morte peculiares amici ſibi ipſis quoque prope regis cadaver mortem inferant. *Diodorus Siculus.*

IBERORUM mos fuit, ut amici in familiaria jura aſſumpti, principi ſe devoveant, vitæ mortiſque ultores: quique ita in cohorte amicorum devoti erant, omnium conſiliorum ſecretorumque participes fiebant; & ſi quid timendum accidiſſet, omnes cauſas & fortunæ minas, atque unà mortem oppetere cogebantur. *Alex. lib.*1. *cap.*25.

DAURIS apud Scythas cum regibus amicos præcipuè gratos, & qui magno in honore fuiſſent, ſepelire in uſu fuit, quibus rex, tanquam pignus amoris, aurem abſcindere ſolebat. *Alex. ab Alex. lib.*1. *cap.*26.

*Nicolaus Damaſcenus Peripateticus Copioſa hiſt. l.*116. Adiatomum Sotianorum Regem (quod genus eſt Celticum) ſexcentos delectos cives apud ſe habere ſcribit, qui patrio eorum idiomate Siloduni dicuntur, hoc eſt, εὐχωλιμαῖοι, vota exequentes. Hos Reges & unà viventes habent & unà morientes, cùm ipſum ita ſe facturos eſſe promiſerint. Ex hac pollicitatione eadem veſte, diætaque utuntur, unàque imperant: atque in omni occaſione moriuntur, ſive ex morbo rex moriatur, ſive in bello ceciderit, ſive alia quavis de cauſa. Neque ullus eſt qui mortem hujuſmodi vel formidantem, vel tergiverſantem quempiam demonſtrare poſſit, cùm Regi ita contigerit. *Athen. lib.*6. *cap.*6. At *Sabellicus* Sontiates vocat populos, & Soldurios, non Silodunos. Alii Soldunos.

ARIUM Cæſar Auguſtus, cùm Alexandria eſſet potitus, manu tenens, atque ex familiaribus cum eo ſolo colloquens, urbem invectus eſt. Hinc Alexandrinis, qui ſummo in timore verſabantur, ſupplicibus reconciliari dixit ſe propter urbis amplitudinem, propter conditorem Alexandrum, & tertiò in hujus, inquit, amici mei gratiam. *Plut. in Politicis.*

A Regibus amati.

ZOROBABEL Judæus, Darii Hyſtaſpis filii, cùm adhuc privatus eſſet, amicus, ejuſdem jam in regem electi ſatelles, reditum Judæorum è Babylone impetravit. *Ioſeph. lib.*11. *Antiq. cap.*4.

ESDRAS ſacerdos Judæorum Babylone degentium, ſua pietate & ſapientia Xerxi regi ſeſe inſinuavit, ut ei reditum in patriam cum quotquot vellet Judæis conceſſerit. 1. *Eſdræ* 7. *&* 8.

NEHEMIAS Hechaliæ F. Xerxis pincerna, divinitùs conceſſa gratia tantum potuit apud regem, ut ei Judæorum reducendorum conceſſerit poteſtatem. 2. *Eſdræ* 1. *&* 2. *Ioſeph. lib.*10. *cap.*5.

Cùm interſeptis faucibus Cherſoneſi in Helleſponto, Miltiades Athenienſis, Cypſeli F. quem Dolonci ſedibus ſuis ab Abſinthiis pulſi ducem elegerant, Doloncos Thraces in patriam ſuam reſtituiſſet, primum omnium Lampſacenis intulit bellum. Illi diſpoſitis inſidiis eum vivum cepere. Ea re Crœſus Lydus audita, per nuntios Lampſacenis præcepit, ut hominem miſſum facerent: alioqui ſe illos in morem pini extriturum. Hac oratione nutantibus Lampſacenis, quid ſibi vellet, quòd minabatur ſe illos in morem pini extriturum: vir tandem quidam è majoribus natu, quid illud eſſet expoſuit: inquiens, Pinum ex omnibus arboribus ſolam eſſe, quæ exciſa nullam ſobolem remittat, ſed prorſus emoriatur. Eapropter veriti Crœſum Lampſaceni, ſolutum Miltiadem remiſerunt. *Herod. lib.*6. *Gellius* tamen *lib.*8. *cap.*3. hunc locum Herodoti reprehendit.

EURIPIDEM, tragœdiarum poetam nobilem, & ſcenicum Philoſophum, uti ab Athenienſibus jactatum ſcimus, Archelao regi Macedonum ſola virtutis admiratione fuiſſe perfamiliarem ferunt, adeò ut in convivio, ubi aureo ſcypho donari ſe à rege quidam frugis non ſatis bonæ ampliùs deprecabatur, puero invertit Archelaus, Euripidi poculum traderet, quumque is videretur etiam atque etiam admirari, σὺ μὲν γὰρ εἶπον αἰτεῖν· τοῦτο δὲ λαμβάνειν ἄξιός ἐστι καὶ μὴ αἰτῶν: Tu quidem (inquit) qui petas, hic verò, quamvis non petens, dignus eſt qui capiat. *Cæl. l.*24. *c.*7. *A.L.*

Darius uſque adeò amavit Megabyzum Perſam, ut diducto malo Punico, optaverit ſibi tot Megabyzos, quot illic eſſent acinorum. *Herodotus.*

THEMISTOCLEM Perſarum rex Xerxes ſummo extulit honore: adhibuit eum etiam venationibus & domeſticis oblectationibus, ut ad matrem quoque regis admitteretur, eaque uteretur familiariter: acceperit inſuper juſſu regi præcepta magica. Cùm Demaratus Lacon juſſus poſcere munus, popoſciſſet, ut more regum directa cithari Sardeis inveheretur: Mirhropauſtes regis conſobrinus apprehenſa Demarati manu dixit: Hæc quidem citharis non habet cerebrum, quod tegat: tu verò, ut fulmen accipias, haud fueris proinde Jupiter. Ob eam poſtulationem cùm deſpiceret per iram rex Demaratum, præ ſe ferens implacabilem ſe ei eſſe, induxit precibus Themiſtocles, ut reconciliaretur ei. Memorant ſubſequutos quoque reges, quorum temporibus major communicatio cum Græcis rerum fuit Perſicarum, quoties cujuſpiam Græci indigerent opera, polliceri ſolitos & ſcribere omnes, Majorem apud ſe fore Themiſtocle. Ipſum quoque ajunt Themiſtoclem, ubi jam ingens evaſit, & colebatur à multis, ſplendida aliquando appoſita menſa filiis dixiſſe: Perieramus filii, niſi periiſſemus. Urbes tres tradunt plerique ei in panem, vinum, & eſculenta datas, Magneſiam, Lampſacum, Myuntas. Duas adjiciunt alias Cizycenus Neanthes & Phanias, Percoten & Palæſcepſin, in ſtratum & veſtem. *Plutarchus in Themiſtocle.*

PELOPIDAM rebus geſtis clariſſ. Thebani miſere legatum ad Artaxerxem, cum à Lacedęmoniis etiam & Athenienſibus clam pro ſocietate cum rege contra ſe ineunda mitti legationem ſenſiſſent. Eum fama jampridem ſibi notum ubi rex aſpexit, & orationem audivit Attica graviorem, & ſimpliciorem Laconica: complexus eſt eum, atque animo verè regio non diſſimulavit, quanti illum faceret, neque clàm fuit ceteros legatos plurimum illi tribuere, quamvis videretur inter Græcos eximio honore Antalcidam proſecutus Lacedęmonium fuiſſe, quòd coronam, quam in convivio capite gerebat, in unguento merſam miſiſſet. At cum Pelopida non egit tanta licentia, ſed munera ei ſplendidiſſima & ampliſſima, quæ de more erant, miſit, & poſtulata ejus confirmavit, ut Græci immunes ſuis legibus agerent, Meſſene coleretur, Thebani amici paterni regis haberentur. Cum his reſponſis nullo dono, niſi quod gratiæ & benevolentiæ eſſet pignus, accepto diſceſſit. *Plut. in Pelop.*

Philippus Macedonum Rex Hipparchi Euboici mortem ægrè tulit. Dicente verò quodam, Attamen maturè ac tempeſtivè mortuus eſt; reſpondit, Mihi certè nimis properè: priùs enim diem obiit, quàm à me dignam amicitia noſtra gratiam receperit. *Plut.*

Rex Alexander Achillis monumentum coronavit, & Ephæſtion Patrocli: ſignificans, ſe tanto amore Alexandrum proſequi, quanto Patroclus Achillem. *Ælianus lib.*12. *de varia hiſtoria.* Cùm Rex barbarorum moribus ſeſe plurimùm accommodaret, & ex primis amicis cerneret his aſſentientem Ephæſtionem, atque ad inſtitutum ſuum ſe accommodatum, Craterum verò patriis inſiſtentem moribus: hoc interprete Græcis & Macedonibus reſponſa dabat, illo barbaris. Et omninò hunc in maximo honore habebat, illum maximè diligebat: exiſtimans & dicens, perpetuò Ephæſtionem φιλαλέξανδρον, Alexandri amantem, Craterum φιλοβασιλέα amantem regis eſſe. Quapropter exiſtebant inter hos invicem æmulos crebræ offenſiones. Semel in India etiam ad manus venere diſtrictis enſibus. Subvenientibus utrique amicis, accurrens Alexander probris increpavit Ephæſtionem, propalam ſtolidum eum & amentem vocans, niſi intelligeret, ſi quis ei detraheret Alexandrum, actum de ipſo eſſe. Privatim Craterem corripuit amarè, reconciliataque ac reſtituta inter eos gratia, per Ammonem atque omnes deos ſãctè juravit, eos ſibi ſupra omnes mortales charos eſſe: quos ſi iterum concertare perciperet, ambos necaturum ſe, aut eum, initium qui dediſſet; unde ne per jocum quidem deinceps alterũ alter ullo dicto vel facto dicitur laceſſiviſſe. Darii ſanè mater, cùm in primo cõgreſſu ex ignorãtia Ephæſtionem pro Alexandro ſalutaſſet, ac monita ſeſe ad regem converteret, illud ei dixit Alexander, Nihil curæ habeas, ò mater: hic namque eſt Alexander. In omnibus & potentia, &, quod familiaritatis multæ eſſe ſolet, loquendi fiducia adeò utebatur, ut Olympiade per invidiam infenſa ei, & literis acerbiùs nonnunquam obloquente ac minante, non dubitaverit, haud molliter ad eam reſcribere, & in epiſtolæ fine illud apponere: In me calumnias moliri deſinas, neque ampliùs aſperitate & minis mecum utare. Si perſeveraveris, ſcito, haud magnæ curæ mihi eam rem fore: cùm (uti noviſti) Alexander æquitate omnibus præſtet. Eo Babylone mortuo, ad parandum hominis funus Alexander vicinas omnes civitates monuit, uti omnibus, quibus poſſent, præſentem pompam juvarent. Equos muloſque totondit, urbium pinnas diruit, medicum Glaucum cruci ſuffixit: ad extremum tibias & inſtrumenta quęvis muſica diu in caſtris audiri vetuit, ad exequias decem millia talentum impendit. *Plutarch. Arrian. Diodor. lib.*17.

Ferunt, dixiſſe Antipatrum Macedoniæ regem, duos ſibi eſſe Athenis amicos, Phocionem & Demadem: alterum horum, ut quicquam capiat, non poſſe inducere, alterum non implere. *Plut. in Phocione.*

Utebatur Philippides Comicus Lyſimacho rege familiariter, multaque ejus gratia populus Athenienſis à rege beneficia accepit. Hujus videbatur occurſus & conſpectus bonum omen illi ad res gerendas & expeditiones adferre. Fuit alioquin ei etiam ob mores probatus, quòd non eſſet importunus, & aulica vacaret affectatione. Agente cum eo aliquando comiter Lyſimacho, ac dicente, Quid tibi Philippe rerum mearum impertiar? Tantum, inquit, ne Rex ſecreta. *Plut. in Demet.*

ARATUM Sicyonium, Achæorum prætorem bellicoſiſſ. qui Acrocorintho occupata Macedones Peloponneſo expulit, à Cleo-

Cleomene Spartano preſſus, Antigono ſeſe Acrocorinthi mercede conjunxit, eique intimus propter fidem & fortitudinem factus eſt. *Plut. in Arato.*

Auguſtus Cæſar duos inter amicos præcipuos dilexit, ob taciturnitatem C. Mœcenatem, ob patientiam Agrippam. *Cuſpin.* Męcenatem adeò amabat, ut συμβιώτης Auguſti diceretur. Quin & poſt victoriam Actiacam ex Ægypto reverſus, de imperandi ratione cum Agrippa & Mœcenate agens, cùm Agrippa privatam vitam, Mœcenas monarchiam ſuaderet, Mœcenati paruit. Leviter tamen aliquando Mœcenati iratus fuiſſe dicitur, quòd ægrè ferret, Terentiam vel uxorem vel puellam ſuam ab Auguſto diligi. *Plut. Dion. Svet.*

Palmæ Nicolai dictæ ab Auguſto Cæſare è Syria allatæ, in gratiam Nicolai Damaſceni peripatetici doctiſſ. & ſummè amici Imperatoris, qui hiſtoriam multam conſcripſit. *Athen. lib.* 14. *cap.* 22.

Carolus Zenus Venetus, juvenis adhuc, ad Galeacium Vicecomitem Mediolani principem profectus, propter gentis nobilitatem, & Petri patris memoriam præclaram, univerſo principatui præfectus, in ſumma ejus gratia, & benè mutua vixit amicitia. *Egnat. l.* 4. *c.* 7.

A ſubditis armati Reges, Principes, Magiſtratus.

Dion tradit, Titum Auguſto comparandum in diverſa ætate: huncque, ſi minùs vixiſſet, nunquam à Romanis dilectum fuiſſe: neque illum, ſi plus. Nam Auguſtus crudelior in principio propter hoſtes & ſeditiones, poſtea longo tempore multis in pop. Rom. beneficiis claruit. At Titus humanè imperans, periit in robore gloriæ: fortaſſis non vacaturus culpa, ſi diutiùs vixiſſet, quia fortuna majori quàm virtute utebatur.

* Subditos habere parum admodùm eſt, ab iiſdem timeri minus, amari autem plurimum. Illud enim crudelitatis, hoc candoris benevolentiæque ſymbolum. Hinc æterna memoria celebrandus Sigiſmundus Imp. qui dum in controverſiam adduci intellexiſſet, Præſtaretne amari regem Principemve à ſubditis, an timeri? reſpondit: Superi amari volunt & timeri, ita & Reges; neque enim ames, niſi timeas, eo videlicet timore, quem filialem ſive reverentialem vocamus. Regibus itaque competit à ſuis amari & timeri, ſi ita moderentur vitam, ut nec inferioribus terrori, nec ſuperioribus ſint deſpectui. *Ex Æn. Syl. l.* 4. *Comm. in res geſtas Alfonſi. Beyerl. in apoph. Chriſt.*

* Fridericus Imp. percontanti, quos præ cæteris amaret ardentiùs, reſpondit, Qui me minùs metuunt, quàm Deum. Præclara atque imperatoria vox: timeri vult, at moderatè. Qui enim non timet, contemnit. *Æn. Sylv. lib.* 3. *Comment. in Res geſtas Alph.*

* Neque fuit ab hac mente alienus Alphonſus Arag. rex qui rogatus, quos è popularibus percharos haberet: illos, inquiebat, qui non magis me, quàm pro me metuunt. Sentiebat autem illos verè amicos, qui Principem magis amant, quàm metuunt. *Panor. lib.* 4.

* Thomas Pontanus, identidem Amoris penetralia ingreſſus, frequenter in ore habebat, & corde: Amorem inermem incedere, dormire tamen loricatum. Acutè notabat, amorem ſubditorum erga Principem tanti fieri, ut Princeps, cui ſuorum benevolentia ſatis ſuperque perſpecta eſt, non ſibi timeat, licèt ſolus interdiu obambulet, noctu tamen ſuo corpori cuſtodes adhibet. *Ex Iac. Spieg. in lib.* 2. *Æn. Syl. de dictis factiſque Alph. Beyerl. ſupra.*

* Claudat hoc agmen Ludovicus Gall. Rex, qui lethali morbo correptus, accerſito Philippo filio regni hærede: Rogo te, ajebat, fili; cura, ut à ſubditis ameris: malim enim Scotum, aut aliquem ex ultima Barbarie ad Francos ſapienter & piè regendos accerſiri: quàm te cum infamia tam illuſtre ſceptrum tenere. *Ionvil. in vita ejuſd. c.* 98. *Beyerl. ibid.*

PATRIA.

Tum

Publicè. Populi diverſæ linguæ inter ſe amici.

Hedui olim dicti ſunt fratres Romanorum. *Cornel. Tacitus* ait, Heduos omnium primos ſenatorum in urbe jus adeptos fuiſſe, datumque id fœderi antiquo: quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano uſurparent.

Ferunt, Maſſilienſes, Roma à Senonibus capta, publico luctu proſecutos amicæ civitatis cladem, aurumque in medium collatum, ut certum pondus ad ſe redimendū Romanis exhiberetur. *Sab. l.* 5. *Enn.* 2. Auctor *Livius eſt lib.* 37. Maſſilienſes in eo honore, & in ea dignitate apud Romanos fuiſſe, ac ſi medium Græciæ umbilicum incoluiſſent; non enim ſonum modò linguæ, veſtitumque & habitum, ſed ante omnia mores & ingenium ſincerum integrumque à contagione accolarum ſervaſſe. Propterea Maximus quoque Valerius, priſci moris obſervantia, charitate populi Romani Maſſilienſes præcipuè conſpicuos fuiſſe, prodit. *Cælius l.* 16. *cap.* 9. *A. L.*

Magna ſemper fuit Florentinorum in reges Galliæ propenſio, tum ob tot civium ſuorum in illo regno commercia: tum ob inveteratam, quamvis falſam opinionem, Florentiam, à Totila Gothorum rege dirutam, ab Carolo Magno inſtauratam fuiſſe: tum propter conjunctionem arctiſſimam, duriſſimè à majoribus ſuis tanquam Guelfis habitam cum Carolo primo Neapolitanorum rege, compluribuſque ab eodem ortis Guelfæ factionis in Italia patronis: tum bellorum memoria, quæ ſenior Alfonſus primùm, deinde Ferdinandus anno 1478. miſſo ad id Alfonſo, cum illa geſſit civitate. Quibus de cauſis populus Carolo IX. exercitum contra Aragonios ducenti tranſitum conceſſit, ſententiam ſuam Coſmi Medicis, omnium Italorum ſuæ ætatis facilè ſapientiſſimi habiti, auctoritate confirmans, qui bello quod inter Joannem Andiovinum & Ferdinandum geſtum eſt, etſi cum Ferdinando Pontifex & Mediolanenſium dux facerent, ſemper tamen conſuluerat, ne Gallorum potentiæ civitas ſeſe opponeret: & Laurentius, potito Britannia Carolo, dicere conſueverat, Italiæ ingentia impendere mala, ſi rex Galliæ ſuas noſſet vires. *Guicciardus lib.* 1. *Hiſt.*

Privatim. Hoſtium amicitia.

☞ *Confer huc Titulos Hoſpitalitatis Liberalis, Humanæ, Fidelis. Hic ſolius Benevolentiæ ratio habenda eſt, in iis verò locis ipſius Habitus, à quo benevolentia iſta provenit.*

INSTITUTIONE

☞ *Huc amicitia, quæ eſt inter præceptores & diſcipulos, cujus exempla ex Fide & Amore petantur.*

AMICITIA POLITICA ARCTA.

☞ *Ex ſequenti Titulo Officiorum exempla quædam huc referenda.*

Inter vetuſtiſſima paria amicorum numerantur Hercules & Theſeus: nam hic illius virtutem & facta ſemper imitatus eſt, & ille hunc apud inferos captivum redimere conatus eſt. Ambo in Amazones armati ſunt, in Scythiam Phrygiamque unà profecti, eiſdem armis inſtructi, eodem telorum genere muniti, ſimilibus ſtudis paribuſque exercitationibus uſi: ex geminis fratribus geniti, Hercules ex Jove, Theſeus ex Neptuno. *Plut. in Theſeo.*

Fuit mutuus amor inter Herculem & Neſtorem. Nam Hercules Meſſenem dedit Neſtori, & Neſtor primùm inſtituit juramentum per Herculem.

Philocetes ſummus Herculis amicus, cui moriens ſuas ſagittas & arcum commiſerat. Erat enim inſignis jaculator. *Euſtach. Iliad. β.*

Theseus cum Pirithoo amicitiam jurejurando confirmavit, auctore Plutarcho, quæ nunquam divelli potuit. Propterea fingitur à poetis unà cum illo ad inferos deſcendiſſe ad rapiendam Proſerpinam.

Ajaci Telamonio Ajax Oilei Locrus arcta junctus fuit amicitia, eique ubique comes ab Homero introducitur. Ea propter cùm Agamemnon Græcorum præſtantiſſimos ſeptem tantùm numero convivio excepturus eſſet, Ajacem Oilei quoque vocavit, non tam fortitudinis ergo, quàm quia Telamonio amiciſſimus erat. *Iliad. β.*

Socrates & Chærephon amici intimi fuerunt. Chærephon oraculum conſuluit, An quis eſſet amico ſuo Socrate prudentior? reſpondit Apollo, ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος, Socrates omnium hominum ſapientiſſimus. *Plin. Solin. Laert. & Plato.*

Statius Dimanta & Hoppieum amicitia inſignes memorat: *Syllius* Marium & Caſprum, *lib.* 9. dicens.

——ſacro juvenes Præneſte creati,
Miſcuerant ſtudia & juncta tellure ſerebant:
Velle ac nolle ambobus idem ſociataque toto
Mens ævo, ac parvis dives concordia rebus,
Occubuere ſimul, votiſque ex omnibus unum
Id fortuna dedit, junctam inter prælia mortem.

Eucritus apud Dionyſium Siciliæ tyrannum ſe vadem interpoſuit, & captivum ſe fecit. Eupheno morti adjudicato, quòd Metapontiis amicitiam tyranni diſſuaſiſſet, donec poſt

poſt ſex menſium tempus, quo ſororem innuptam alicui elocaret, Euphenus reverteretur. Ob quam fidem tyrannus ambos liberos dimiſit.

Damon & Pythias Pythagorei tantam inter ſe amicitiam coluerunt, ut cùm alterum ex his Dionyſius interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo domum profectus res ſuas priùs conſtitueret, impetraſſet, alter ſe vadem pro reditu ejus tyranno dare non dubitarit. Appropinquante autem die conſtituta, necdum redeunte altero, cùm hic inſaniæ damnaretur, nihil ſe de amici conſtantia metuere reſpondit. Et certè eadem die & hora à Dionyſio conſtituta alter ſupervenit, hacque ſua fide & ſibi & ſocio vitam redemit. *Val. Max. l.* 4. *c.* 7.

Pomponius & Lectorius C. Gracchi amici ſummi, proſtratis & perditis ejus conſiliis rebuſque, cùm tota ejus conſpiratio latè quæreretur, deſertum omni auxilio, ſolo ab infeſtis & undique ruentibus telis oppoſitu ſuorum corporum texerunt, occubueruntque. *Val. Max. lib.* 4. *c.* 7.

Servius Terentius & D. Brutus amici. Cùm D. Brutus poſt cladem Mutinenſem fugiſſet in locum tenebricoſum, & miſſi ab Antonio equites irrumperent: Terentius Brutum ſe eſſe ſimulans, corpus equitibus trucidandum objecit. Verùm cognitus à Furio, ut vitam amico ſervare non potuit morte propria, ſic invitus fortuna cogente vixit. *Val. Max. lib.* 4. *cap.* 7.

Ultimo prælio in Philippicis commiſſo, Brutum fugientem conſpicatus Lucilius, dum Brutum ſe fingit eſſe, inſequentes tamdiu remoratus eſt, ut Brutus longè ab eis abeſſet. Captus autem & ad M. Antonium perductus Lucilius, incolumis ſervatus eſt, & ab Antonio in amicorum numerum receptus. *Fulg. lib.* 4. *cap.* 7.

C. Lælius, & Africanus Scipio, inter raros amicos numerati ſunt.

L. Lucullus & M. Tullius Cicero amici fuere ſummi, & conſiliorum in Repub. ſocii, Academiæ ſtudioſus uterque, alter quidem novæ, Lucullus verò veteris. Eapropter Cicero librum doctum valdè pro ſecta ſua ſcripſit, quem Lucullum inſcripſit. *Plut. in Lucullo.*

T. Pomponius Atticus tanta benevolentia junctus fuit Ciceroni, ut Ciceronis Atticus diceretur.

Cùm Varro philoſophus inter proſcriptos à Triumviris eſſet, Calenus eum aliquandiu domi ſuæ celavit. In quam domum cùm perſæpè M. Antonius deambulatum ſe conferret, nunquam territus eſt, aut animum mutavit Calenus, etſi aſſiduè vel animadverti, vel præmia dari cernebat iis, qui proſcriptos re aliqua vel juviſſent vel accuſaſſent. *Fulg. lib.* 4. *cap.* 7.

Horatius Mecœnati amiciſſimus. Id cùm ex pluribus aliis locis, tum *ex Ode* 17. *lib.* 2. patet, ubi inter cætera & hæc habet:

Ah te meæ ſi partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera
Nec charus æquè, nec ſuperſtes
Integer? ille dies utramque ducet ruinam. Item:
Vtrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum, te Iovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucriſque fati
Tardavit alas: quum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit ſonum.
Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextra levaſſet Mercurialium
Cuſtos virorum.

Amicitiæ nomen privatim quoque meritò veneror (inquit de ſe ipſo Valerius) clariſſimi ac diſertiſſimi viri promptiſſimam erga me benevolentiam expertus. Nec metuo, ne parùm conveniat mihi, Pompejum meum inſtar eſſe Alexandri, cum illi Ephæſtion ſuus, alter fuerit Alexander. Ego verò graviſſimo crimini ſim obnoxius, conſtantis & benignæ amicitiæ exempla ſine ulla ejus mentione tranſgreſſus, cujus in animo, velut in parentum amantiſſimorum pectore, lætior vitæ meæ ſtatus viguit, triſtior acquievit: à quo omnium incrementa commodorum ultrò oblata cepi: per quem tutior adverſus caſus ſteti, qui ſtudia mea ductu & auſpiciis ſuis lucidiora & alacriora reddidit. Itaque pavi invidiam quorundam, optimi amici jactura, videlicet quia fructu torſeram: non quidem meo merito, gratiam meam, quantacumque fuit, cum iis, qui ea uti voluerunt, partitus. Verùm nulla tam modeſta felicitas eſt, quæ malignitatis dentes vitare poſſit, & quo ſeceſſu quoſdam fugeris, aut quibus inſulis miſericordiæ permulſeris, non cohibebis, ne ut alienis malis perinde ac bonis ſuis lætentur ac geſtiant. Divites ſunt aliorum jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus; ſed illi quatenùs alienis incommodis, ſuorum adhuc expertes, inſultent: optima vindex inſolentiæ varietas humanæ conditionis viderit. *Val. Max. lib.* 4. *cap.* 7.

Arvernenſis Comitis filius, & alius quidam puer militis Bericani, ut facie, ſic & moribus ſimiles, Romæ à pontifice Deus baptizati fuere, & alteri Amici, alteri Æmelii nomen inditum, ſuſcipientibus eos ex ſacro fonte multis militibus. Eos porrò ita mutuo amore conjunctos fuiſſe, narrat *Vincent. lib.* 13. *cap.* 164. *& ſeq.* ut Amicus pro Æmilio cum hoſte ejus Harderico congreſſus ſit, eumque interfecerit: & apud uxorem ejus dormiens, intactam ſervarit, & pro eo leproſo curando, angeli cujuſcumque tandem juſſu libertos ſuos interfecerit, & eorum ſanguine conſperſerit. Antonius putat, fabulam eſſe, cùm ab aliis hiſtoricis non ſit aſſignata, & parricidium & monomachiam contra Dei leges & Canones eſſe aſſerit. *Tit.* 14. *& cap.* 4. §. 3.

AMICITIÆ POLITICÆ INDICIA, NOTÆ, OFFICIA

Tum

OBITA CUJUSMODI SUNT.

Initiare ſacris. E ſacro fonte ſuſcipere. Compatres. Patrini. Patres ſpirituales. Suſceptores. Fidejuſſores baptiſmatis. Συντεκνοι *à Zonara & recentioribus Græcis hiſtoricis dicuntur, qui ſacræ è baptiſmo ſuſceptionis vinculo juncti ſunt.*

Manuel dux fortiſſ. Theophilo Imp. magiſter equitum creatus, ut arctiori vinculo amoris colligaretur, filium regis ex ſacro levavit baptiſmate: quem pater mox corona inſignivit, & regem Romanorum declaravit. *Cuſp.*

Nicetas, Chonarum Epiſcopus, Nicetam, qui Conſtantinopolitanorum Imperatorum hiſtoriam contexuit, ex baptiſmo ſuſcepit, ut ipſe teſtatur *lib.* 7. *de geſtis Manuelis.*

Leo Copronymus Telericum Bulgarorum dominum ex ſancta piſcina ſuſcepit, & patricium fecit. *Sig. an.* 778. *P. Diac. lib.* 23. *rer. Rom.* Adrianus pontif. ſimul baptizavit, & patrini officio functus, Carlomannum Caroli Magni F. mutato nomine vocavit Pipinum, de ſacro fonte ſuſceptum. *Reg. lib.* 2. *& Annal. Franc.* Thomas Giſlam Caroli filiam Mediolani baptizavit, & ſimul eam è ſacro fonte levavit. *Reg. ibid. & Adon. ætate* 6. *& Vrſpergenſis.* Rigobertus Epiſcopus Rhemenſis, fuit patrinus Caroli Martelli: ut apparet ex Sigeberto. Æmilium & Amicum pueros baptizatos, multi Milites Romani de baptiſmo ſuſceperunt. *Vinc. lib.* 32. *cap.* 162. Vitekindi Saxonum ducis, Carolus Magnus fidejuſſor fuit. *Chen. Miſniæ & Holſatiæ.*

Chilpericus Rex Francorum multos Judæos baptizari curavit, quos ipſe è fonte ſacro levavit: verùm primi defecerunt. *Greg. lib.* 6. *Hiſt. cap.* 17.

Audovera, Chilperici Francorum regis uxor, perſuaſione Fredegundis, maritis pellicis, eam hoc facto exoſam regi reddere volentis, abſente marito propriam filiam è baptiſmate ſuſcepit. Ob quod factum à rege repudiata, ex lege à Pontificibus lata, ne vir ejus fœminæ vel uxoris potiretur concubitu, quæ baptizandæ ſobolis commater extitiſſet. *Adon. ætate* 4. *ſub Iuſtino juniore. Rob. Gaguinus.*

Childeberto regi filius natus, qui à Treverenſium Epiſcopo Magnetico de ſacro fonte levatus, Theodebertus eſt appellatus. *Greg. Turon. lib.* 8. *Hiſt. cap.* 37.

Theoderici verò ejuſdem filii ſuſceptor fuit Varanus Cabillonenſis Epiſc. *Greg. Turon. lib.* 9. *Hiſt. cap.* 4.

Godofridum Carolus Craſſus Imp. de ſacro fonte ſuſcepit. *Sigeb. ann.* 884. Carolus Rex Hundeum Normannum, anno Dom. 869. *Sigeb.*

Agilulpho regi Longobardorum ex Theodelinda regina in palatio Modeciano natus filius ibidem baptizatus eſt, ſuſceptore Secundo, ſervo Dei de Tridento. *Veſpergenſis.*

Lotharius Imp. Paſcha Marsburgi celebraturus, in Sabbato ſancto Bohemiæ ducis filio, qui ea de cauſa eò advenerat, baptiſmi teſtis extitit, ann. 1128. *Appendix Mariani Scoti.*

Flamberto Berengarius Rex Italiæ filium è ſacro Baptiſmatis lavacro levarat. Subornatus à Veronéſibus rex, cùm ad galli cantum pro more templum adiret, eum in via intercepit, ac à tergo rhomphæa occidit. *Cuſp.*

Gerebat ſummū in Francia magiſtratum Carolus cognomento